*AUTHOR:*
KRIES, KARL GUSTAV

*TITLE:*
DE GREGORII TURO-
NENSIS EPISCOPI...

*PLACE:*
VRATISLAVIAE

*DATE:*
1839

Master Negative #

93-81610-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

# BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Kries, Karl Gustav, 1815-1858.
De Gregorii Turonensis episcopi vita et scriptis scripsit Dr. C. G. Kries. Vratislaviae, Hirt, 1839.
105 p. 23 cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/26/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# DE GREGORII TURONENSIS EPISCOPI VITA ET SCRIPTIS.

SCRIPSIT

**Dr. C. G. KRIES.**

VRATISLAVIAE,
F. HIRT.
1839.

# DE
# GREGORII TURONENSIS EPISCOPI VITA ET SCRIPTIS.

SCRIPSIT

**Dr. C. G. KRIES.**

VRATISLAVIAE,
F. HIRT.
1839.

PATRUO SUO

# FRIDER. KRIES

PROFESSORI GOTHANO ILLUSTRISSIMO

D. D. D.

PIE VENERANDO

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

EA QUA PAR EST PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

# INTRODUCTIO.

Artium omnium, quarum studio ad historiam via ac ratione tractandam opus est, quum ea gravissima a doctissimo quoque habeatur, quae qualis fontium conditio sit perquirat, iisque medicinam quodam modo adhibeat: jam si pluribus, cur in ea potissimum colenda primum meum studium collocassem, exponere pararem, verbosior fortasse quam modestior viderer. Sed ut Gregorii episcopi Turonensis scripta investiganda aggrederer ea res me commovit, quod et inter gravissimos historiae medii aevi fontes sunt, et ad illa pertinere viderem, quibus criticam artem diligenter adhibendam esse omnibus quidem persuasum sit; nec tamen quisquam ea qua par est animi alacritate illud munus susceperit.

Dignissima tamen Gregorii scripta sunt, quae artis criticae ratione habita illustrentur; nam quum saeculo sexto Historiam Francorum aliaque minoris momenti scripta composuerit, haec non solum omnia propter ipsam vetustatem veneranda sunt, verum etiam ejus Historia maximam rerum memoratu dignarum copiam continet. Pertinet enim Gregorius ad eos auctores, qui ut Jordanes vel Paulus Diaconus primi, ubi Romanorum scriptores, quibus usque tum rerum a majoribus nostris gestarum cognitionem debemus, nos defecerunt, novos patriae historiae fontes aperuerunt atque apud Germanos scribendi studium suscitaverunt. Etsi enim ge-

nere Gallus erat, Francorum tamen populo et regni et ecclesiae societate junctus erat, ita ut optimo jure patrius auctor existimaretur. Atque quum eo clarior et illustrior auctor habeatur, qua majore populus, cujus historiam scripsit, gloria excellit, tum Gregorii nomini magnus sane splendor atque summa celebritas tribuenda est, quippe qui duarum potentissimarum et clarissimarum gentium, Germanorum et Franco-Gallorum, historiam literis mandare primus inceperit eamque, ut ita dicam, condiderit.

Nec vero vetustas solum et populi, cujus res gestas enarravit, gloria honorem ei parat, sed alia etiam accedunt, quibus magnum ejus Historiae momentum tribuitur. Nam ejus aetatis historiam memoriae tradidit, qua Germani, occupatis Romani imperii provinciis, proprias sedes regnaque sibi constituerunt; quae quidem aetas hanc ob causam ante omnes dignissima est, quae pernoscatur, quod tum temporis, postquam armis decertatum est, atrocius illud certamen Romani cultus humanitatisque cum Germanorum libertate atque ferocitate coeptum est, atque ea de re agebatur, uter populus orbis terrarum conditionem statumque institutis legibusque temperaret. Qua de re, quum summum semper fructum magnamque voluptatem percipias ex disquisitione, quomodo omnia illa, quae ad orbis terrarum conditionem constituendam magnam vim exerceant, quasi de imperio accerrimum inter se certamen ineant; tum hujus aetatis historiam quam certissime exploratam habere nostra inprimis interest, quando quidem institutorum omnium, quae a Germanis medio aevo servata esse miramur, id principium is fons existimandus est. Gregorius vero non solum unus auctor est, a quo omnis de Francorum regno, saeculo quinto condito atque sexto mirum in modum amplificato, cognitio petenda sit, verum etiam scriptoribus omnibus, qui post eum de Merowingis, saeculo septimo et octavo regnantibus, satis jejune ac breviter retulerunt uberior fideque dignior est, ita ut illis quoque lumen aliquod afferat. Qua re summo jure viri docti maximi semper ejus scripta fecerunt



nec immerito patrem historiae Francorum eum appellaverunt.[1])

Sed ut praeclarissimum hominum opus, pro communi generis humani imbecillitate, non sine vitiis est, ita nec Gregorius, quamquam multos ante alios scriptores insignis est, ab omni reprehensione vacat. Nam scribendi genere barbaro usus non solum obscure de multis rebus locutus est, verum etiam, quum nec rerum explorandarum ubique ei potestas fuerit et opinionum erroribus pluribus, uti ipsius aetas ferebat, implicitus teneretur, falsa nonnulla retulit. Quapropter etiam eo magis elaborandum summoque studio curandum est, ut illustrentur ejus scripta atque vitia omnia emendentur.

Sed quum duo sint, quae ad fontes rite tractandos pertineant, quoniam non solum summa cura edantur necesse est, verum etiam eorum fides investigari debet, alterum munus aut jam perfecerunt viri docti aut brevi tempore perficient; alterum suscipiendum reliquerunt.

Gregorii enim opera omnia, ut alios, qui minus accuratam antea operam eis dederunt, omittam, summo studio atque diligentia edenda curavit Theodoricus Ruinartus; deinde in ejus Historia edenda Bouquet, quae apta videbantur, adjecit; denique, manuscriptis optimis collatis, quaecunque hi aut minus recte fecerint aut exponenda reliquerint, se emendaturum esse vir doctissimus Pertz promisit.[2])

---

[1]) *Cf. Ruinartus*: Praefatio ad Gregorii Opera (Lutet. Paris 1699 fol) §. 4 et 5; *Luden:* Deutsche Geschichte T. III. pag. 223 sqq., 530 sqq; *Joh. Christ Felix Bähr:* Die christlichen Dichter und Geschichtsschreiber Roms, Carlsruhe 1836 pag. 141.

[2]) Gregorius, quum decem libros Historiarum, octo Miraculorum compositos nobis reliquerit, eorum aut nonnullos selectos aut simul omnes saepe viri docti ediderunt, uti magna cura expositum invenias in: *Histoire literaire de France* T. III. (1835) ubi pag. 381 sqq. editiones recensentur, quae solam Historiam, pag. 394 — 397. quae alia quoque ejus scripta continent. Cf. etiam *Ruinart.* l. l. §. 128 — 132. *Hamberger:* Zuver-

Quod alterum restat officium, ut critica arte adhibita de fide Gregorii historica exponatur, nemodum ita ut sufficere videatur praestitit.

Nam quum plurimi viri doctissimique de Gregorii operibus disputaverint, varia eorum sunt genera, quorum quid singuli praestiterint breviter exponam. Unum genus est eorum, qui in scriptis, quae ad artem literariam pertinent, de Gregorii vita et scriptorum ordine et conditione dixerunt, sed, uti ipsorum ope-

lässige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern vor dem 16. Jahrh. Lemgo 1767. pag. 1078. sqq. *Bähr* l. l. pag 145.

Summa cura atque industria, codicibus pluribus quam decem et editionibus fere omnibus collatis, *Gregorii Opera omnia* Lutet. Paris 1699. fol. ed. Theodoricus Ruinartus, cujus editione nos inprimis usi sumus. Ruinartus praefatione amplissima Gregorii opera illustravit, quam in quinque partes distribuit. 1) Quanti Gregorii scripta facienda sint docuit (§. 2—71.) 2) Eorum ordinem recensuit (§. 72—85.) 3) Num singula ejus Historiae capita rejicienda sint, quaesivit (§. 86—120.) 4) De manuscriptorum et editionum conditione exposuit (§. 121—134.) 5) De Fredegario Scholastico commentationem addidit (§. 135—149.)

Idem vitam Gregorii ab Odone abbate compositam, deinde testimonia veterum et recentiorum scriptorum de Gregorio, denique annales Francorum Gregorii operibus praemisit; Historiae Fredegarii opera adposuit et libris miraculorum, quos septem numerat, librum de vita Patrum et aliorum, quae supersunt, fragmenta adjecit; denique notis uberrimis doctissimisque et appendice ampla omnia illustranda curavit. Cujus editionem secutus et collatis insuper codicibus et *Cluniacensi* et domini cardinalis *Dubois* Gregorii Historiam iterum edidit:

*Bouquet*: Recueuil des Historr. des Gaules Tom. II. pag. 137 sqq.

Nuperrime *Pertz* Ruinartum et Bouquetium, etsi plerosque codicum nossent, tamen qui plurimi faciendi essent non recte sensisse nec accurate semper variorum lectiones observasse docuit, quamobrem duce codice Montecasinensi, accitis codicibus Cluniacensi et Bibl. Christinae No. 555, collatis vero Corbejensi et Cameracensi atque auxilio editionum Ruinarti et Bouquetii se iterum in *Monumentis Germ. histor.* Gregorii Historiam editurum esse promisit. (Archiv für ältere Deutsche Gesch. Bd. V. pag. 50 sqq.)



rum natura ferebat, de Gregorii fide historica quaestionem attigerunt potius quam pertractandam susceperunt. Alterum genus est eorum, qui superioribus saeculis vel ea, quae suo more Gregorius nec lucide nec polite de Francis retulit in ordinem redigere atque ornate narrare studuerunt, vel totam Historiam commentariis illustrandam curaverunt vel de singulis, quaecunque obvenerunt, commentationes composuerunt.

Qui omnes, etsi Gregorium saepe emendaverunt ac multa de eo vera dixerunt, non tamen via ac ratione artem criticam ejus scriptis adhibuerunt. Tertium genus est recentiorum, quicunque Gregorii scriptis usi sunt, scriptorum, qui gravia de eis judicia fecerunt, breviora tamen nec satis circumscripta ac definita ea, quam quibus acquiesci possit. Ita potius quid agendum sit docent, quaestionemque excitant, quam rem de integro tractandam ne quis aggrediatur deterrent.[3])

[3]) De Gregorii vita ac scriptis paucis exposuerunt: *G. J. Voss:* de Historic. Latin. (Lugdun - Badav. 1651.) II., 22 pag. 253 sqq *J. A. Fabricius:* Biblioth. med. et infer. Latin. (Hamb. 1734—46.) Tom. III. pag. 292 sqq. *Histoire literaire de France:* (Paris 1735.) Tom. III. pag. 372 sqq. *Hamberger:* l. l. T. III. pag. 443 sqq. *Joh. Christ. Fel Bähr:* l. l. pag. 138 sqq.

Commentaria ad Gregorii Historiam Francorum scripsit: *Ant Dadinus Alteserra*: Notae et observationes in Gregorii Turonensis Historiam et Fredegarii Chronicon. Tolosae 1679. 4.

Multa ad ejus Historiam illustrandam attulerunt *Hadrian. Valesius:* Res Francicae. Lutet. 1646 III. Vol. fol. T. II. praefatio, aliis locis. *Carolus Cointius:* Annall. Francc. Paris 1665. VIII. T. fol. T. II. pag. 148 sqq. pag. 422 sqq. alibi. Singulas, quae ad Gregorii aut vitam enarrandam aut scripta illustranda pertinent, commentationes recensuit: *Reuss*: Repertorium commentationum. Gotting. 1810. T. VIII. pag. 336 sqq.

De Gregorio judicia fecerunt, ut alios praeteream: *Rösler:* Chronicon medii aevi (Tubing. 1798. T. I.) pag. 119. *Luden:* Geschichte der Deutschen. III. pag. 223; 530 sqq. 699; 700. *Mannert:* Geschichte der Deutschen, besonders der Franken (Stuttg. u. Tüb. 1829. 8. 2 Th.) T. I. pag. 175; 234 sqq. *Peters:* Ursprung des Lehnsverbandes. Berlin 1831. pag. 121 sqq. De *Ruinarto* supra diximus (not: 2.)

Esse enim quae desiderentur, nec ingratam fore accuratam atque diligentem de iis, quae Gregorii fidem aut confirment aut imminuant disquisitionem, illud etiam indicium est, quod **J. W. Löbell** ante aliquot annos de Gregorio commentationem se scripturum esse promisit.[4]) Quem quum munerum labor aliorumve susceptorum onus, quominus propositum persequatur magno cum multorum dolore prohibere videatur, quod hujus officii laborem ego subierim, facile fortasse mihi ignoscetur. Quare jam quomodo agendum instituerim dicam.

Etenim ea potissimum secutus, quae in dijudicandis medii aevi scriptoribus observanda esse summo omnium consensu clarissimus **Stenzel** docuit,[5]) primum qua gente ortus fuerit Gregorius, et quibus casibus fortuna eum exercuerit exponere studui. Qua in re, quum omnia fere, quae ad judicium de ejus scriptis justum faciendum conferant, argumenta ex ipsius Gregorii scriptis petenda sint, neque immerito eadem plerumque, quam re factisque auctor probavit, scriptis quoque ejus inesse fides atque integritas existimetur; haud alienum fore putavi, quod paulo uberius de ejus eruditione ac moribus disputaverim. Deinde ubi de Gregorii scriptorum ordine et argumento dixi, de ejus fide historica ita exponendum institui, ut duas Historiae partes discernerem, et cum de his, quae Gregorius ante ipsum natum gesta esse aliorum auctoritate confisus retulit, tum de iis, quae sua aetate accidisse ipse testatur, seorsim quaererem. Nam ut alteri parti quae fides habenda sit investigetur, quibus fontibus usus fuerit et quam rationem adhibuerit exponendum est; contra de altera parte quaerentibus nobis primum quo consilio scripserit, deinde qua prudentia, auctoritate rerumque peritia instructus fuerit, denique quod justum ac sapiens judicium fecerit, aut quousque partium studio incensus vel aliis, quae hominem exagitare solent, cupiditatibus ductus

---

[4]) *J. W. Löbell* commentationem indicavit: Ueber Gregor von Tours und seine Zeit. (Leipziger Messcatalog 1835.)

[5]) *Gst. Ad. Stenzel:* Geschichte Deutschlands unter den Fränkischen Kaisern. Lpz. 1828. Tom. II. pag. 1—40.



justitiae ac fidei limina transcenderit perquirendum est. —

Quae quidem etsi quaestionem omnem amplecti videantur, tamen quoniam unum exstat opusculum, quod praeter Gregorii Historiam ad res ejus aetate a Francis gestas illustrandas aliquid conferat, Fredegarii Historiam epitomatam dico, quid ea ad emendandum Gregorium valeat non omittendum putavi. Denique quum magni quidem momenti quaestio sit, quo tempore auctor scripta sua composuerit, sed quando Gregorius Historiam scripserit nec ita accurate constitui nec paucis exponi possit, rem in additamento uberius tractavi. Ibi simul, quum vinculo communi hae quaestiones inter se junctae sint, num libri decimi epilogus Gregorio tribuendus sit quaesivi.

Quae cum ita sint hunc rerum exponendarum ordinem constitui, ut

I) De Gregorii vita ac moribus dicerem;

II) De Gregorii scriptorum ordine et argumento;

III) De Gregorii fide historica;

IV) De Gregorii Turonensis Historia epitomata per Fredegarium Scholasticum, atque

V) Additamento: De Gregorii libri decimi Historiae epilogo et de tempore, quo Historiam scripserit, quaererem.

# CAPUT I.

## DE GREGORII TURONENSIS EPISCOPI VITA AC MORIBUS.

### 1. DE VITA.*)

**Georgius Florentius Gregorius**,[1]) plerumque **Gregorius Turonensis** appellatus aut

*) Vitae, quam latina lingua conscriptam reservatam habemus atque Ruinartus edidit, (vide introductionis not. 2.) auctorem nonnulli codices vetusti Odonem abbatem nominant. Quem eundem atque Odonem abbatem Cluniacensem (†942) esse Ruinartus censet, quum is Caesaroduni Turonum educatus diuque commoratus sit, et hanc ob causam facile ad Gregorii vitam enarrandam commoveri potuerit. (Ruin. praefatio ad Gregorii opp. §. 149.) At quum pauca tantum hac in vita referantur, quae non ex ipsius Gregorii scriptis collecta sint, nec unde cetera deprompta sint explicetur, quaecunque retulerimus ex ipsius Gregorii scriptis aut haurire aut confirmare tutissimum putavimus. Qua in re inprimis magna nobis usui fuit Gregorii vitae commentatio, quam diligenter et polite scripsit *M. Levesque de la Ravalière*. (Mem. de l'Academie des Inscriptions Vol. XXVI. pag. 598 sqq.)

Quamquam errores aliquot in ea inveniuntur: uti (pag. 607.) Guntramnus-Boso dux cum Gundovaldo duce commiscetur; non enim Boso sed Gundovaldus Childebertum II. puerum a mortis periculo liberavit. (Vide Greg. Tur. Histor. lib. V. cp. 1.) Simili ratione (pag. 619) falso Chilpericum Caesarodunum Turonum Childeberto reddidisse et Gregorium Childeberti legatum fuisse contenditur, quum Chilpericus Caesarodunum inde a Sigiberto interfecto usque ad ipsius mortem subj imperio retineret. (Vide Greg. Hist. VI. 2. 3. 10.) Alia sunt, quae emendanda suo lococourabimus.

De Gregorii vita conferas praeterea ea quae supra nominavimus scripta. (Introd. uot. 3.)

[1]) Hoc ei nomen in pluribus manuscriptis tribuitur v. Ruin. praef. §. 85.



anno 539 aut paullo post[2]) in regione Arvernia e gente nobilissima ortus est; quae gens divitiis principumque favore magnam gloriam atque auctoritatem adepta erat. Etenim jam avus Gregorii, **Georgius** senator, inter nobilissimos urbis Arverniae cives erat,[3]) hujusque uxor **Leocadia** se stirpem a **Vectio Epagate** ducere gloriabatur.[4]) Filiorum autem qui ex hoc matrimonio prodierunt major, **Gallus**, a Theodorico rege in Austrasiam accitus, postea Arverniae episcopus factus est[5]); minor autem, **Florentius**, curialis ordinis dignitatem adeptus, eo quod **Armentariam**, Gregorii episcopi Lingonensis neptem,[6]) in matrimonium duxit, summum familiae addidit splendorem.[7]) Florentio deinde ex Armentaria tres erant liberi, **Petrus**, quem diaconum in urbe Andemantuno Lingonum ab inimico interfectum esse Gregorius commemorat[8]); filia, quae **Justino** nupsit[9]), et **Gregorius** noster.

[2]) Odo Abbas quum *ferme tricennalem* Gregorium episcopum creatum esse dicat (Vita §. 26), id autem anno 573. accidisse constet, Ruinartus (in Annall. Francc.) Gregorium anno 544. natum esse contendit, cujus sententiam omnes fere viri eruditi secuti sunt. Sed quum Odo verbis parum definitis locutus sit, ad ipsum Gregorium recurrendum est, qui de Mirac. S. Martini lib. III. c. 10 ita scripsit: „Tempore quo ... (mater) *me edidit*, dolorem in uno tibiae musculo incurrit. *Post* ordinationem meam advenit Turonis .... discessit dolor .. qui per *triginta quatuor* annos feminam fatigaverat.“ Unde, etsi non pro certo dici potest, Gregorii matrem ipso anno, quo is episcopi dignitatem adeptus est (573), Caesarodunum venisse, uti Ravalierio videtur, tamen id luce clarius perspicitur Gregorium non *ante* annum 539. natum esse.

[3]) Greg. Tur. lib. de vita Patrum c. 6. „Ille vero Gallum se vocitari pronuntiat, Georgii filium *senatoris;* quem Abbas ut cognovit de *prima progenie* progenitum esse.“

[4]) Hist. I., 27. Vectius primus in Gallia ob Christianae fidei confessionem interfectus est.

[5]) Vita Patrum c. 6.; Arvernia Gregorii aetate in ditione regum Austrasiae erat.

[6]) Vita Patrum. c. 7.

[7]) Greg Tur. lib. de Gloria Martyr. c. 84.

[8]) Hist. V. 5.

[9]) Gregor. Turon. de Mirac. Martini lib. II. c. 2. Justinus ex

Atque Gregorius, patre mature mortuo, matre vero paullo post in Burgundiam profecta[10]), admodum juvenis clericorum ordini adscriptus est, atque primum a St. Gallo episcopo, patruo suo († 554), deinde ab Avito archidiacono, qui postea episcopi dignitatem assecutus est (571), literarum rudimentis imbutus est.[11]) Mox diaconi munus adeptus, plura itinera fecit; uti Lugdunum se contulit, ubi Nicetius, matris avunculus[12]), episcopi sedem obtinuit[13]); Burgundiam, ut matrem viseret, petiit[14]), atque Caesarodunum Turonum profectus est (563), ut auxilio S. Martini a morbo liberaretur.[15]) Decimo anno post (573), ubi Eufronius, hujus urbis episcopus atque Gregorii propinquus[16]), obiit, Gregorio nostro civium et clericorum consensu atque Sigiberti regis jussu episcopi dignitas oblata est, qua accepta, Egidius episcopus Remensis eum consecravit.[17])

---

Gregorii sorore filiam genuit, Eustheniam, (Mir. Mart. IV. 36) quae Nicetio nupsit (Hist. V. 14.) Is fortasse idem est ac Nicetius ille, quem ducem Arverniae fuisse et magna cum laude provinciam gubernasse Gregorius commemorat (Hist. VIII. 18. 30. 43.)

10) Mirac. Mart. I. 36; III. fine.

11) Vita Patrum c. 2. (Hist. IV. 35 de Avito pluribus dicitur; de Gallo vid. Vita Patrum c. 6.)

12) Hist. V. 5 „in praesentia Nicetii episcopi, avunculi matris meae, Lugdunum dirigitur.“

13) Cf. Vita Patrum c. 8.

14) Vide not. 10.

15) Mirac. Mart. I. 32: „regente ecclesiam Turonicam S. Eufronio anno septimo, secundo anno Sigiberti gloriosissimi regis (563), irrui in valetudinem...“ Qua de re, quum iter anno 563 fecerit, episcopus vero anno 573 creatus sit, falso in Histoire liter. de France (III. pag. 375) ipso anno, quo Eufronius mortuus sit, Gregorium iter fecisse contenditur.

16) Fufronius sicut Gregorius originem a Gregorio Lingonum episcopo duxit. Hist. IV. 15.

17) Gregorium nostrum Sigiberto regi carum fuisse Venantius Fortunatus poeta, Gregorii amicus, docet, qui Carmin. lib. V carm. 3. ita dicit:

Martino proprium mittit Julianus alumnum.  
Et fratri praebet, quod sibi dulce fuit:



Qua ratione Gregorius ad summum quidem ecclesiae fastigium provectus atpue magnam auctoritatem assequutus est, praesertim quum St. Martinum, Turonum patronum, summo studio omnes venerarentur[18]); sed tamen, quoniam de Caesaroduno oppido magna inter reges Francorum contentio coorta est, summa simul pericula subiit. Etenim, ubi Chlotacharius I., qui omnium Francorum imperium tenuerat, decessit (561), filii sorte civitates diviserunt, atque Chariberto Lutetia Parisiorum, Caesarodunum Turonum, Pictavium aliae urbes evenerunt. Deinde Chariberto mature mortuo (567), primum quidem foedere inito reliqui fratres, Sigibertus, Guntramnus et Chilpericus, ejus regnum diviserunt atque Sigiberto, Austrasiorum regi, praeter alia oppida Caesarodunum decreverunt[19]), at paullo post Chilpericus, rex Neustriae, novarum rerum cupidus, arma contra Sigibertum movit et inprimis Caesarodunum Pictaviumque in suam potestatem redigere conabatur. Qua in re Sigiberto vivo nihil effecit, sed ipse summum in periculum venit, donec, fratre occiso (575) et restituto bello, Caesaroduno potitus est, quod oppidum dum ipse vivebat († 584) sub imperio tenuit.[20])

Qua re Gregorius, qui Sigiberti partes sequutus

---

Quem patris Egidii Domino manus alma sacravit,  
Ut populum regeret; quem Radegundis amet.  
Huic Sigibertus ovans favet et Brunechildis honorat.

Vid. apud *Bouquet.* l l. Tom. II. pag. 500.

Caesarodunum plerosque ex Gregorii majoribus episcopos accepisse, ipse memorat (Hist. V. 50.) „Praeter quinque episcopos reliqui omnes, qui sacerdotium Turonicum susceperunt, parentum nostrorum prosapiae sunt conjuncti.“

Ceterum anno 573. Gregorium episcopum creatum esse ex Mirac. Mart. lib. II. cap. 1 discimus, ubi ita scriptum est: Sigiberto gloriosissimo rege (561 — 75) duodecimo anno regnante ... onus episcopatus indignus accepi.“

18) Francorum reges omnes, Gregorio teste, St. Martini virtutem metuebant. Ut Chlodovechus, (Hist. II. 27), Chlotacharius. I. (Hist. IV. 2.) Charibertus, (Hist. IX. 30), reliqui.

19) Hist. IX. 20. 30.

20) Hist. VI. 3. 10. 31. 32.

erat, hoc mortuo, in hostis potestatem pervenit atque Brunechildi, Sigiberti viduae, favere perseverans, magis magisque Chilperici suspicionem iramque excitavit. Atque quum jam eam ob causam, quod Guntramnum-Bosonem, Austrasiorum ducem, qui Chilpericum metuens in basilica S. Martini refugium quaesivit, jussus a rege expellere noluit, suspectus haberetur[21]); paullo post alia res eaque multo gravior accidit, quae regem infestissimum Gregorio reddidit. Merowechus enim, Chilperici filius, patre invito Brunechildem in matrimonium acceperat, ideoque patri invisus ab eo captus et clericorum ordini adscriptus erat. Sed Merowechus, extrema expertus et Austrasiorum nec non Neustriorum multorum auxilio confisus, Caesarodunum aufugit, atque Guntramno-Bosoni junctus, Leudastem, comitem a Chilperico institutum, ex urbe ejecit bellumque patri paravit.[22]) Ipse Gregorius Merowecho favisse videtur, certe Chilpericus quin inimicus sibi esset non dubitavit.[23]) Commoto igitur exercitu Chilpericus filium, ab Austrasiis destitutum[24]), de Caesaroduno oppido decedere coegit, atque, hoc fugato et paullo post interfecto, ejus amicos petiit. Neque Gregorio satis erat his, quae modo

[21]) Guntramnus Boso dux Theudebertum, Chilperici filium, proelio superatum interfecerat, qua re, ubi Sigiberto mortuo Chilpericus victoriam obtinuit, timore percussus Caesarodunum se contulit. Quem Gregorius, Martini sanctam basilicam laedi non debere praetendens, fortiter defendit. Chilpericus vero eo consilio, ut Childeberto II., Sigiberti filio, urbem servaret, Gregorium agere suspicabatur. Hist. V. 4.

[22]) Hist. V. 14.

[23]) Dum Merowechus Caesaroduni morabatur, Gregorii consanguineus, Nicetius Lutetiam profectus est, quem Chilpericus velut speculatorem in vincula conjecit, satis his probans quid de Gregorio sentiret. (Hist. V. 14.) Quae nos quoque in eam sententiam adducant, ut Gregorium Merowechi amicum fuisse existimemus, etsi ipse apertis verbis non affirmat, infra (Caput III. pag. 55) afferenda erunt. Hoc loco ea tantum, quae ad historiam pertinent, exhibuimus.

[24]) Hist. V. 14: „Merowechus prope duos menses ad ante dictam basilicam residens, fugam iniit et ad Brunechildem reginam usque pervenit; sed ab Austrasiis non est collectus.‘



exposuimus Chilperici iram movere, sed, Merowechi amicos defendendo, nova adeo inimicitiae semina jecit. Nam ante alios Praetextatum praecipue, quippe qui, Rotomagensis episcopus, Brunechildis cum Merowecho nuptias sanciverit, regis ira persecuta est; quapropter, convocato Lutetiam-Parisiorum concilio, proditionis apud episcopos accusatus est (a. 577.) Qui quum nec se pecunias a Brunechilde acceptas distribuisse nec sacramenta in Merowechi nomine exegisse negare posset[25]), summum in discrimen pervenit; atque ab reliquis episcopis, regis minis perterritis, ex clericorum ordine remotus et anathemate punitus esset, nisi Gregorius fortior quam cautior contradicendo prohibuisset, et ut poenitentiae atque exilii solummodo condemnaretur effecisset.[26])

Quibus rebus omnibus Gregorius cum Chilperici regis tum Fredegundis reginae odium in se ipsum convertit, atque inimicis suis ejus opprimendi spem injecit. Qua re Leudastes, comitatus honore nuper privatus, Gregorio perdendo et regis favorem et muneris dignitatem recuperandi facultatem sibi oblatam esse ratus, Riculfo presbytero, qui episcopi sedem affectabat, se junxit, et Gregorium, quod de reginae et Bertchramni episcopi fama conviciis nefandis detraxerit, accusavit.[27]) Chilpericus rex, Leudastem simul spe comitatus recuperandi et in Gregorium invidia commoveri intelligens, primum quidem ejus verba neglexit, deinde autem, vel ignominiae illis illatae magnitudine incensus vel uxoris precibus commotus, Brinnacum episcopos, qui de Gregorio judicarent, convocavit (580.)

[25]) V. Hist. V. 19. Cf. et infra, ubi pluribus de Praetextato dicendum erit. Cap. III. pag. 61. sqq.

[26]) Qua re effecit, ut Praetextatus, Chilperico mortuo, episcopi munus recipere posset. V. Hist. VII 16.

[27]) Etenim Bertchramnum stuprum cum regina fecisse rumor erat, cujus auctorem esse Gregorium Leudastes contendit. Nec Gregorius talia referri, sed se famae auctorem esse negavit: „Negavi ego in veritate me haec locutum, et *audisse* quidem haec alios, me non excogitasse.“ (Hist. V. 50.)

Nihilominus rex magna usus est temperantia[28]; etsi enim testes aderant, quibus Leudastes accusationem veram esse demonstrare studuit, tamen Chilpericus, sive episcoporum populique sententiam veritus[29] sive ipsi uxori contumeliam esse ratus, si episcopus rumoris auctor appareret, sacramento se defendendi Gregorio potestatem fecit. Ita quidem Leudastes calumniando se ipsum perdidit[30], Gregorium vero in posterum non modo non regis odium insectatum est, sed etiam clementia et reverentia secuta[31]; sicuti Chilpericus Gregorium ut secum prandium sumeret, invitavit; divitias thesaurosque ei ostendit[32]; ut ipsi benediceret petiit[33], ejusque preces explendas curavit.[34] Quibus tamen omnibus Gregorii amicitiam non impetravit, qui cum Herode et Nerone eum comparavit.[35]

Cujus rei haud scio an ea causa fuerit, quod Chilpericus neque episcoporum potestatem augendam esse censuit, neque in rebus publicis administrandis Gregorii consilio usus est. Quod ubi, Chilperico per sicarios necato (584), Guntramnus Caesarodunum in suam potestatem redegit[36], longe aliter Gregorio evenit.

28) Ipse Gregorius „Mirati sunt omnes, inquit, regis prudentiam vel patientiam simul“ Hist. V. 50.

29) Gregorius memorat ipsam Chilperici filiam, Riguntem, pro ipso orasse, populumque talia exclamasse: „Cur haec supra sacerdotem Dei objiciuntur? cur talia rex prosequitur? Num quid potuit Episcopus talia dicere vel de servo?“ Hist. V. 50.

30) Leudastes, ecclesiae communione privatus, aufugit, sed postea a Fredegunde interceptus et occisus est. (Hist. VI. 32.)

31) Quod Chilpericus Turonibus tributa gravia imposuit (Hist. V. 29) et ab iis, cum militiae munera sustinere neglexissent, multas exigi jussit (Hist. V. 27), id quod annis 578. et 579. accidit, fortasse non tam Chilperici avaritiae, quam in Turones irae et in Gregorium inimicitiae tribuendum est. Post annum 580. Gregorius de talibus non conquestus est.

32) Hist. VI. 1.

33) Hist. VI. 5.

34) Hist. VI. 10. Chilpericus furibus, capite damnatis, Gregorii precibus commotus vitam concessit.

35) Hist. VI. 46: Chilpericus, Nero nostri temporis et Herodes.“ Cf. et infra Cap. III. not. 74 et 83.

36) Hist. VII. 12. 13.



Nam non solum ipsi Guntramno acceptus carusque erat, ita ut rex eum, ubi uterque Aureliae erat, inviseret, et ejus precibus commotus nobiles aliquos perfidos in gratiam reciperet[37], verum etiam **Childebertus II.**, qui paullo post Guntramni haeres institutus (585) Caesarodunum recepit[38], pio amore patris amicum colebat, atque auctoritatem ejus in rebus publicis administrandis saepe adhibuit. Sicuti ejus consilio usus, ne Guntramnus in Theodorum, episcopum Massiliensem, quem ille proditionis accusavit, causam prosequeretur petiisse videtur.[39] Quanti vero eum fecerit, inde apparet, quod legatum eum ad Guntramnum misit (588.), quocum de pacis Andelai initae (587.) conditionibus exsequendis ageret.[40]

Itaque Gregorius, magna jactatus tempestate, portum tandem aliquando nactus est, ibique vitam honore laudibusque auctam, cum regis officia tum episcopi munera exsequendo, transegit.[41] Auctoritate, qua cum ipse, tum S. Martinus gaudebat, ita usus est, ut aliis salutem, ecclesiae splendorem, sibi ipsi laudem afferret; excusavit enim, qui criminis commissi causa condemnati erant[42]; cives a censu liberavit[43]; ecclesiam

37) Hist. VIII. 2. 6.

38) Hist. VII. 33. „Tunc ei reddidit rex Guntramnus omnia, quae pater ejus Sigibertus tenuerat.“

39) Gregorius enim, Theodoro amicus, Confluentibus in regis palatio aderat, quum Felix, Guntramni legatus, ibidem esset, cui ipse rege tacente respondit. (Hist. VIII. 13.)

40) Hist. IX. 20.

41) Anno 585 interfuit concilio Matisconi habito (Hist. VIII. 20); antea Confluentes ad Childebertum profectus est. (Hist. VIII. 12.)

a. 588. Childeberti legatus Guntramnum adiit.

a. 590. Adfuit concilio Pictavii habito, quo monialium in abbatissam seditio oppressa est. (Hist. X. 15.) Deinde Metas se contulit, quo loco episcopi de Egidio, episcopo Remense, judicaverunt, et ex clericorum ordine eum removerunt. (Hist. X. 19)

a. 591. Childebertum regem adiit (Mirac. Martin. IV. 26.)

a. 593. Guntramno mortuo Childebertus ejus regnum recepit, cui ut gratularetur Gregorius Aureliam se contulit (Mirac. Mart. IV. 37.)

42) Hist. VIII. 6.

43) Hist. IX. 30.

ditavit[44]) ejusque disciplinam servavit.[45]) Quamobrem multis sane ejus mors praematura dolenda atque ploranda erat. Obiit autem anno aut 594. aut 595. p. Ch. n.[46])

## 2. DE GREGORII ERUDITIONE.

Ita fere natura comparatum est, ut qua in familia multi sapientia praeclari et honorum dignitate in-

[44]) Hist. IX. 26.

[45]) Hist. X. 15.

[46]) Quae extrema aetate Gregorio acciderint, pauca tantum atque incerta ea comperimus. Ipse enim Gregorius, quomodo post annum 593 vitam egerit, non commemorat; sed Odo, qui unus lumen aliquod tenebris affert, Romam Gregorium profectum esse (*Vita:* §. 24) atque anno vicesimo primo episcopatus expleto die decima quinta a. Cal. Dec. cum obiisse narrat. (*Vita:* §. 26.)

Quod anno vicesimo primo episcopatus *expleto*, itaque aut anno 594 aut a. 595 decesserit, non est cur dubitemus. Nam, praeter quam quod de episcoporum morte commemorare jam Gregorii aetate usui erat, ut ipse noster probat, qui omnem Turonum episcoporum ordinem recensuit; ex ipsius Grogorii scriptis, in quibus Guntramni mortem († 593) commemorat (Mirac. Mart. IV. 37), colligitur eum post annum 593 diem supremam obiisse. Deinde quum Gregorius Childerici II. mortis († 596) mentionem non fecerit, et epistola Gregorii Magni ad *Pelagium* episcopum de *Turnis* (cod. Colb.: de *Turonis*), Gregorii, uti videtur, successorem, anno 596 scripta supersit; (Greg. Magni Papae Opp. omnia Paris 1705 ed. Ord. Ben. T. II. pag. 836. [lib. VI. ep. 52.]); hinc concludimus, Gregorium ante annum 596 mortuum esse, ita ut restent anni 594 et 595.

Romam vero Gregorium profectum esse, veri haud simile videtur. Etenim, quum Gregorio I. jam papae dignitatem obtinente iter fecisse dicatur, is autem anno 590 papa creatus sit, nostrum post annum 590 demum profectum esse manifestum est. Annos vero 590 — 593 in Gallia degit (vide not. 41); deinde etiam post annum 593 scriptis et componendis et in ordinem redigendis prologisque ornandis operam dedit (vide Cap. II.), ita ut, quum ne verbo quidem se Romam vidisse innuerit, et paullo post a 593 mortuus sit, iter faciendi vix potestas ei fuisse videatur. M. Ravalière ipso anno 593 Gregorium obiisse putat (l. l. pag. 632), cui sententiae, quum hoc anno Gregorius plura adhuc scripserit, accedere non possumus.



signes viri floruerunt, ex eadem qui sunt, eorum vestigia cupide prosequantur. Qua de re Gregorius, quum et paterni et materni generis nobilitate insignis, majorum vero exemplis ad optima quaeque persequenda incitatus et ab episcopis vel cognatis vel amicis instructus sit, neque ipse ingenio aut hebete aut tardo usus sit — si quidem in rebus publicis et privatis prudentiam non exiguam ostendit, atque animi alacritatis scripta sua testes reliquit — magnam profecto, non solum inter aequales, verum etiam inter omnes omnium temporum episcopos virtutis et eruditionis laudem assecutus esset, nisi saeva et doctrinae infesta tempora patriaeque miserrima conditio magno ei, quominus ingenium excoleret, impedimento fuissent.

Sed quum Gallia omnis bellis continuis gravissimisque vastata atque ferocissimarum gentium rapinis hausta esset, tum Gregorii patria, Arvernia, uti jam pridem saevissimis procellis agitata erat, ita ejus ipsius aetate novis cladibus tantopere afflicta erat, ut doctrinae artesque non modo non florerent, sed paene neglectae jacerent. Nam Arverni, etsi Romanorum imperio, ut reliqui Galli, dediti erant; tamen, quum montibus continerentur, ceteris diutius linguae morumque asperitatem retinuerant, ita ut Romanorum cultui atque humanitati vix aditus ad eos esset.[47]) Deinde vero regionem media in Gallia sitam et agrorum ubertate alias plurimas antecedentem hostes Galliam pervagantes aut Hispaniam petentes vix praeterire poterant, ne dum hi, qui sedem regnumque in Gallia occupavere, belli finem facerent, antequam Arverniam in ditionem subegissent. Quo factum est, ut terrae ubertas cupiditatem barbararum gentium quam maxime incitaret, incolarum vero virtus ac pertinacia, quum per aliquod tempus ferociter quidem se defen-

[47]) Sidonii Apollinaris († 488) epist. lib. III., epist. 3 ad Ecditium: „tuaeque personae quondam debitum, quod *sermonis Celtici* squamam *depositura nobilitas*, nunc oratorio stylo, nunc etiam camoenalibus modis imbucbatur. Illud in te affectum principaliter universitatis accendit, quod quos olim Latinos fieri exegeras barbaros deinceps esse vetuisti."

derent, postremo tamen hostium numero vincerentur, perniciei potius quam saluti iis esset. Sicuti ab Euricho, Wisigothorum rege, per tres annos (471—474) bello acerrimo attriti, tandem pacati et in ditionem subacti sunt; non ita multo post **Chodovechus**, Francorum rex, ubi Gothis bellum intulit, Arvernos quoque magna clade[48]) affecit (507 sqq.), usque dum **Theodoricus**, ejus filius, eorum ferocitatem plane perdomuit. Arvernorum enim, qui fratrem ejus Childebertum I., ut terra potiretur, acciverant, perfidiam ulturus, Francos incendiis caedeque cuncta devastare et praedas hominum pecorumque agere permisit.[49]) (a. 532—533.)

Neque is quidem finis miseriae erat. Nam Gregorio jam puero **Chramnus** insuper, Chlotacharii I. filius, Arvernia occupata, seditionem contra patrem fecit (553—560.), bellisque civilibus Arvernos quam maxime fatigavit.[50])

Quae quum ita sint, in Arvernia nullum literis et doctrinae refugium fuisse, itaque ne Gregorium quidem in studiis tractandis viam ac rationem sequutum esse, non est cur mirum videatur. Potius libenter ipsius verbis, quum grammaticorum praeceptis se non imbutum esse, nec veterum Romanorum scripta juvenem legisse confiteatur, sed ad divina tantum studia prosequenda Avito hortante se incubuisse dicat[51]), fidem integram concedimus, atque indulgentiam, quam quod barbare scripserit saepius petiit[52]), omnem ei

---

[48]) Greg. Hist. II. 37. „Maximus ibi tunc Arvernorum populus ... et primi qui erant ex senatoribus conruerunt sqq."

[49]) Hist. III. 12. 13. 16.

[50]) Hist. IV. 13. 16. 17.

[51]) Vita Patrum cap. II. prol.: „Non enim me artis grammaticae studium imbuit neque auctorum saecularium polita lectio erudivit: sed tantum beati Aviti Arverni pontificis studium ad ecclesiastica sollicitavit scripta, si mihi non ad judicium contingerent, quae ipso praedicante audivi vel cogente relegi, quia ca nequeo observare. Qui me post Davidici carminis cannas ad illa Evangelicae praedicationis dicta atque Apostolicae virtutis historias epistolasque perduxit."

[52]) Hist. I. prol. „Sed prius veniam a legentibus precor si



praebemus. Neque vero omnes ejus aetatis viros insignes aeque ac Gregorium disciplina et doctrina destitutos fuisse existimandum est, ut ipse noster monet, Andarchii eruditionem commemorans[53]); Fortunato se eloquentia superari testans[54]); Avenionis urbis cives, quod philosophiae studio incumberent, vituperans.[55]) Idem epistolae quoque, quas eo tempore scriptas adhuc habemus[56]), probant, si quidem genere scribendi Gregorii opera aliquanto antecedunt.

Nihilominus tamen Gregorius, quum doctrinae elegantiam summo opere appeteret nihilque non faceret, quo illa, quae ex rerum publicarum conditione exstiterunt, incommoda tolleret, multos episcopos, partim e Francorum gente ortos, et ex militibus clericos factos, partim, etsi Galli erant, artes humanas aspernatos[57]), eruditione facile superavit. Nam quo tempore Historiam scripsit, Sidonii epistolas, Prudentiique carmina tractaverat; Virgilii et Sallustii opera ex parte legerat; e Plinii vero et Auli Gellii scriptis grammaticam, uti putabat, didicerat[58]); denique, ut Historiam

---

aut in literis aut in syllabis grammaticam artem excessero, de qua adplene non sum imbutus." Cf. Mirac. Mart. prol.; Glor. Martyr. et Conf. prol.

[53]) Hist. IV. 47. „(Andarchius) ad obsequium domini deputatus, ad studia literarum cum eo positus, bene institutus emicuit. Nam de Virgilii operibus, legis Theodosianae libris, arteque calculi adplene eruditus erat."

[54]) Mirac. Mart. prol. „Utinam fortunatus adesset, qui ista scriberet." Is ex Italia ortus, in Ravenna urbe eruditus erat; post in Gallia morabatur atque Pictavii oppidi episcopatum obtinuit.

[55]) Domnolus abbas Chlotacharium I. precatus est „ne permitteret simplicitatem illius inter senatores sophisticos ac judices philosophicos fatigari" Hist. VI. 9.
Cui ipse Gregorius assentit. cf. not. 59.

[56]) V. ap. *Bouquet* l. l. T. IV. pag. 49—98.

[57]) De clericorum hujus aetatis eruditione ac moribus cf. *Fauriel:* Histoire de la Gaule meridionale sous la domination des conquirans Germains. Paris. 1836. 4. Tom. 8° Tom. III. pag. 448 sqq.

[58]) Virgilium laudat Hist. IV. 30; Sallustium Hist. IV. 13. VII. 1; Plinium et Gellium: de Vita Patrum prol. Cf. c. II

scriberet Eusebii Hieronymi, Orosii, Sulpitii-Alexandri, Renati-Frigeridi, aliorum scripta perlegerat, qua de re infra pluribus dicendum erit. Quamquam ipsa, quae nobis reliquit, opera non magnum eum ex illis fructum percepisse satis superque probant. Quod ita evenisse non mirum est; nam hi, quos maxime tractavit, auctores, ipsorum cogitationes pias literis mandarunt, quas nec disponere nec illustrare politeque dicere potuerunt. Veterum autem Romanorum scripta, si quae legit, non nisi nescio quo horrore attigit, quum opinionibus impiis et paganorum erroribus referta essent.[59]) Id quod divinum iis inest, ne gustare quidem potuit.

## 3. DE GREGORII NOTIONIBUS AC MORIBUS.

Ubi Gregorium liberalium artium elegantia ac doctrina paene destitutum fuisse exposuimus, quae alia gravissima accesserint ad ejus mores formandos quaerendum, et quomodo opinionum erroribus nonnullis implicitus sit, exponendum esse videatur.

Patria enim ejusque amor fuit, quo Gregorius plane carebat. Nam Romana quidem respublica grandi ruina corruerat, imo memoriam paene splendoris armorum strepitus malorumque quae imminebant magnitudo exstinxerat. Franci vero victores, et lingua et moribus adhuc barbari[60]), tum temporis metum saepius et contumeliam Gallis intulerunt[61]), quam pote-

---

not. **13.**) Sidonium, Prudentium, Orosium pluribus locis, quam quos laudare necesse est.

[59]) Lib. Mirac. prooemium: „Hieronymus presbyter ... refert se ductum ante tribunal aeterni judicis et extensum in supplicio *graviter caesum, eo quod Ciceronis* argutias vel *Virgilii* fabulas saepius *lectitaret*.. Non enim oportet fallaces commemorare fabulas, neque *philosophorum inimicam Deo sapientiam sequi*... Quod *ego* metuens..

[60]) Gregorius Francos saepe barbaros appellat; e. g. Hist. VII. 29.; III. 15.

[61]) Conferas si lubet Hist. III. 15.



statis et honoris participes eos fecerunt. Quid? quod Franci, nec minus Galli, qui eorum societatem petebant, divitias magis et potentiam civilibus bellis, quam honestatem veramque gloriam quaerebant. Unum supererat, quod securitatem et honorem simul praebuit: Fides recta deique ecclesia, in qua omnis etiam spes posita erat ferocitatis barbarorum leniendae atque humanitatis, quae quasi homines deseruerat, revocandae. Illa Gregorium alma suscepit, illa educavit, illa ad summum honoris gradum provexit.

Atqui admodum puer divinis scriptis, quae disceret magis quam intelligeret, imbutus, et in diem monitus ne improborum hominum sermonibus in erroris laqueos induceretur, sed potius Sanctorum sapientia atque auctoritate confisus canonum praecepta laute tueretur; virtutem omnem in fide recta positam esse arbitrabatur, et ab ejus recto tramite deflecti stupiditatis simul et improbae vanitatis esse indicium existimabat.[62]) Qua de re disputationibus cum haereticis vel Judaeis habitis, omnibus officiis se satis fecisse putabat, dummodo assidue id quod verum esset moneret, et divina scripta saepius laudando adversarios refutaret[63]); malignae pertinaciae tribuendum esse arbitrabatur, nisi impiis erroribus depositis veram sapientiam affectarent.[64]) Qua re, etsi eos ad fidem rectam

---

[62]) Quam severam, ne dicam inhumanam, sententiam Gregorius de haereticis tulerit, ex sequentibus colligas: Aegila, Arianus, quocum disputationem instituit, satis mite dixit hoc modo: „Legem, quam non colis, blasphemare noli: nos vero, quae creditis, etsi non credimus, non tamen blasphemamus, quia non deputatur crimini si illa et illa colantur.“ Cui Gregorius, „ejus stultitiam cernens,“ ad extremum respondit: „Nec nostram Dominus religionem sive fidem ita tepescere faciat, ut distribuamus Sanctum ejus *canibus* ac pretiosarum margaritarum sacra *porcis squalentibus* exponamus.“ (Hist. V. 44.)

[63]) Gregorius saepius disputationes contra haereticos habitas retulit, ut Hist. V. 44. IX. 6. VI. 5. X. 15.

[64]) Gregorius, quum Priscum Judaeum ad fidem rectam commovere non posset, „nunquam *compunctus* est, inquit, *miser* ad credendum.“ (Hist. VI. 5.)

confitendam vi cogendos non esse existimavit[65]), infausta tamen eis omnia esse et, sicuti hominibus sceleratis, certum iis imminere exitium putavit. Quamquam similia jam dudum catholici de haereticis judicabant. Ecclesiae vero conditio varias vicissitudines experta erat. Antea quidem Romani imperii vinculo continebatur, et concilia communia omnibus convenerunt, ita ut fratres esse omnes Christianos appareret, et dei civitate quondam omnes bonos requieturos esse crederetur. Tunc septa erat Gallia, Gothis, Longobardis, Saxonibus infestis; importuna erat regum Francorum potestas[66]); labefactata metropolitanorum auctoritas.[67]) Neque paganorum, qui deorum neglectorum ira mundum premi atque obrui existimarent, sermones solummodo et convicia refutanda erant, nec satis videbatur probare Christianorum deum nutu atque ipsa voluntate sua cuncta regere; ipsi catholici quoque, Franci videlicet indomitae libidinis ac libertatis, ecclesiae dignitatem eludebant, praecepta contemnebant, nec manus saevas a sacris ecclesiaeque ministris abstinebant. Qua re singulari quadam et extraordinaria dei opera opus erat, qui tanquam praesens hominum res administraret, atque inprimis ecclesiae provideret. Vindicari extemplo in perjuros debebat[68]), fulmine ut sacrilegi percuterentur[69]), atque laborum fructu privarentur, quicunque diebus festis quotidiana negotia obirent, necesse erat[70]); ita demum fieri potuit, ut

---

[65]) Hist. VI. 11. „Vi ego vos confiteri dei filium non compello.“ Cui Aviti, praeceptoris, sententiae Gregorius quoque accedit.

[66]) Vide: *Plank:* Geschichte der christlich kirchlichen Gesellschaft. T. II. pag. 111 sqq.

[67]) Nec reges, qui pro arbitrio episcopos constituerunt, metropolitani contradictionem curabant (cf. Hist. IV. 26.); et ipsi episcopi, metropolitano neglecto, regem statim, ut optata consequerentur, adire cum commodius tum tutius honestiusque putabant. (Cf. Mappinii, episcopi Remensis, ad Nicetium Trevirensem epistola; circa annum 550; ap. Bouquet: T. IV. pag. 68.)

[68]) Cf. Mirac. Mart. I. 31.

[69]) Cf. Mirac. Julian. cap. 13.

[70]) Cf. Glor. Conf. c. 81.



Francus deum novum crederet precibusque veneraretur. Talem igitur deum Gregorius credidit, qui hac vita ipse bonos tueretur, nefarios puniret; clericos vero ejus servos, Sanctos ministros atque velut arma telaque esse putavit. Etenim quaecunque prospere evenerunt non hominum prudentia vel fortunae favore ita contigisse, sed Sanctorum omnipotente auxilio perfecta esse; mala autem omnia criminibus merita et a Sanctis pro poena inflicta esse judicavit. Has opiniones penitus animo inhaesisse Gregorii, non ea re solum perspicias, quod similia singulis fere capitibus exposita invenias; sed etiam inscius nonnunquam ac paene invitus, quantam notiones illae piae vim in eum exerceant, testatur. Uti dolet, indignum se fuisse, qui miraculum aliis manifestum videret[71]); miratur, quae ob crimina tantae poenae a Caesaroduno et Limono oppidis repetantur[72]), similia.

Nec vero solum qualem deum crederet, et quomodo hunc hominibus providere existimaret, in rerum publicarum conditione potissimum positum erat; verum etiam, ut de hominum vario loco atque ordine, imo de bono honestoque paullo aliter ac nos sentiret, effecerunt. Nam, quum ecclesia peculiari quadam dei cura defenderetur atque Sanctorum praesenti auxilio muniretur, et clerici omnes, veluti ecclesiae servi, et inprimis episcopi, qui summum in ecclesia locum tenerent, supra vulgarem hominum conditionem elati, Dei fere personam inter homines obtinebant. Qua de re Gregorius sacrosanctos eos habebat, quos judicare illicitum, conviciis persequi improbum, laedere scelestum erat. Atque quum merito homines ab amplissimo quoque ordine pleraque semper exigenda esse judicent; summa profecto omnia, justitia, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes in iis requiri necesse erat, quorum erat: ecclesiae majestatem imminutam

---

[71]) Glor. Martyr. cap. 84: „Aderam fateor ... sed haec videre non merui.“

[72]) Hist. IV. 49. „Et adhuc obstupescimus et admiramur, *cur* tantae super eos plagae irruerant.“

servare. Quae pro virili parte Gregorius quidem praestitit; sicuti Riculfum inimicum a capitis supplicio liberavit[73]); Leudastem comitem, accusatorem suum, ut sibi caveret, monuit[74]); caedem bellumque Turonum civile, quae faida dicitur, ecclesiae pecunia compescuit[75]); cives Turones a censu liberavit[76]); reges ne bella civilia gererent monuit[77]), bonosque omnes laudibus extulit, scelestos castigavit.

Sed, ut humana conditio fert, non sine gravi detrimento divina humanis miscentur; divina enim maculantur, nec tamen homines Sancti fieri possunt. Id quod noster quoque probat.

Neque enim vis minis semper propelli, atque Francorum nobilium potentia ecclesiae auctoritate coerceri potuit, nec saepe episcopi, homines, illam venerationem meruerunt, quae episcopatus dignitati tribui debebat. Unde duplex malum ortum est. Nam accidit, ut Gregorius et ipse, ubi evadere non potuit, vi urgenti, ne gravius damnum existeret, cederet, atque minus fortem se praeberet[78]), et clericorum vel

---

[73]) Riculfus clericus erat inter Gregorii accusatores, quem capite damnatum servavit. Hist. V. 50. „pro cujus vita vix obtinui."

[74]) Gregorius Leudasti, ut Fredegundis veniam precaretur, suasit. Quod ubi Leudastes neglexit, a regina interfectus est. Hist. VI. 32.

[75]) Hist. VII. 47.

[76]) Hist. IX. 30.

[77]) Hist. V. prol. Taedet me bellorum civilium diversitates .. memorare... Utinam vos o reges! in his proeliis, in quibus parentes vestri desudaverunt, exercemini!.. Quid agitis? quid quaeritis? quid non abundatis? In domibus diliciae supercrescunt, in promptuariis vinum, triticum, oleum redundat, in thesauris aurum atque argentum coacervatur. Unum vobis deest, quod pacem non habentes Dei gratia indigetis sqq."

[78]) Merovaeo, qui clericorum ordinem contra fas jusque reliquerat et contra patrem arma tulit, communionem ministravit, hanc excusationem praetendens: „Veritus autem sum, ne dum unum a communione suspendebam, in multos existerem homicida. Minabatur enim"... (Hist. V. 14.) Cf. et Hist. VIII. 40.



inprimis episcoporum vitiis indulgeret; cujus quidem indulgentiae qui finis fuerit, vix dici potest. Persuasus enim non omnia ab omnibus exigi posse, clericos peccantes, dummodo atrociora vitarent, excusatos habuit[79]); deinde expertus, ne hoc quidem modo eorum libidinem coerceri posse, ut saltem prudentia quadam ducti peccata admitterent[80]) et hominum sermones effugerent[81]), suasit. Qua quidem in re nihil profecit; neque enim a multis scelera perficiuntur, ita ut celari possint. Jam eo res erat perducta, ut crimina episcoporum patefacere et judicando ulcisci scelus haberetur.[82])

Qua re si ecclesiae studium Gregorii judicium, prout rerum conditio flagitavit, aliquo modo corrumpebat, huc alia res nec ea minus gravis accessit, quae ejus aequitatem ac justitiam haud raro infregit. Etenim Gregorii aetate reges Francorum gravibus ac diuturnis bellis inter se contenderunt, ita ut nemo esset, qui non in alterutram pugnantium partem aut

---

[79]) Hist. IX. 37: „Et licet vorax cibi et potator vini extra modum et ultra quam sacerdotalem cautelam decet, tamen nullum de eo adulterium quispiam locutus est."

[80]) Hist. VIII. 19. „Ideoque documentum sit haec causa clericis ne contra canonum statuta extranearum mulierum consortio potiantur, cum haec et ipsa lex canonica et omnes scripturae sanctae prohibeant, praeter *has feminas*, de quibus crimen *non potest aestimari*"

[81]) Vita Patr. VIII. §. 3. „O virum beatum, qui omni intentione vitare studebat *scandalum!*"

[82]) Nonnichius, comes, episcopum urbis Limoni accusavit, quod de regis Chilperici fama detraxerit, ejusque verba hujus episcopi diaconus vera esse affirmavit. Qua re Gregorius „post duos vero menses, inquit, Nonnichius comes, qui hoc scandalum seminaverat, sanguine percussus interiit" justam sceleris poenam eum fuisse innuens (Hist. VI. 12.) Simili ratione, quum Theodorus episcopus Massiliensis, proditionis accusaretur et, in vincula conjectus, ad Guntramnum duc[illegible]etur, Gregorius, etsi re vera Theodorus crimen commis[illegible]t (vid. Hist. VI. 24), tamen „nec defuit, inquit, ultio di[illegible], quae servas suos ob ore canum rabidorum defensare [illegible]suevit." Ratharius enim dux, qui jussa Guntramni exequutus est, mortuus est. Hist. VIII. 12.

suapte voluntate inclinaret aut necessitate quadam traheretur. Qua de re ne Gregorio quidem inhonestum videbatur clericum hujus vel illius partibus studere, easque vel palam vel clam sustinere, neque ipse, quum foris pugnaret, domesticas inimicitias effugere potuit. Quod ita esse inde perspicitur, quod Domnolum abbatem, qui, etsi Childeberti I. civis erat, Chlotacharii I. speculatores occultare consuevit[83]) non vituperat; quod Theodorum, episcopum Massiliensem, qui Gundovaldum Galliae regnum appetentem suscepit et auxilio suo munivit, laudibus extulit[84]); quod Praetextatum episcopum, qui filium contra patrem excitaverat, defendit[85]), ita ut nihil turpe episcopo fuisse videatur.

Quibus cognitis mirum sane videtur, Gregorium ira accensum eo processisse, ut ad Felicem episcopum Namneticae civitatis ita scriberet: „Vae his, qui jungunt domum ad domum et agrum ad agrum copulant. Num quid soli inhabitabunt terram? O si te habuisset Massilia sacerdotem, nunquam naves oleum et reliquas species detulissent, nisi tantum chartam, quo majorem opportunitatem scribendi ad bonos infamandos haberes!“[86])

Quo apparet, Gregorium, ira in inimicum percitum, nonnunquam oblivisci, sanctos esse episcopos, quos accusare nefas esset.

Qua re Gregorius, ut brevibus ea, quae de eo diximus, repetamus, jam puer pio et religioso fidei rectae amore impletus, quum literarum artiumque humanitate careret, nec ullo patriae amore obstrictus teneretur, eo majore studio ecclesiam amplexus est; deum ejus principem existimavit, haereticos odio persecutus est, episcopos sanctos et supra vulgarem hominum conditionem evectos esse arbitrabatur. Necessitate vero coactus potentibus interdum se minus fortem atque constantem, episcopis autem justo leniorem probavit, nec ipse tanta animi magnitudine erat, in quem inimicitiae non caderent, et qui sine studio odioque de omnibus diceret.

---

83) Hist. VI. 9.
84) Hist. VIII. 12. „Est enim vir egregiae sanctitatis et in oratione assiduus.“ cf. not. 82.
85) Quae res Chilpericum regem ita movit, ut exclamaret:
„O episcope! justititiam cunctis largiri debes et ecce ego justitiam a te non accipio, sed, ut video, consentis iniquitati, et impletur in te proverbium illud, quod corvus oculum corvi non eruit.“ (Vid. Hist. V. 19.)
86) Hist. V. 5.

# CAPUT II.

## DE GREGORII TURONENSIS SCRIPTORUM ORDINE ET ARGUMENTO.

Ubi de Gregorii vita ac moribus diximus, jam ad ejus scripta transeamus et primum quae opera composuerit, deinde quid contineant inquiramus.

Duo plurium librorum volumina, ab ipso Gregorio collecta, adhuc reservata habemus; octo enim libros Miraculorum [1]), decem Historiarum scripsit. Quae praeterea minoris momenti opuscula composuit, aut omnino perierunt, aut parva tantum fragmenta super-

[1]) Eos ipse in prologo libri de Glor. confess. recenset:
„Igitur in primo libello inseruimus aliqua de Miraculis Domini ac Sanctorum Apostolorum reliquorumque *Martyrum*, quae hactenus latuerunt;.. in secundo posuimus de virtutibus S. Juliani martyris. Quatuor vero libellos de virtutibus S. Martini; septimum de quorundam Feliciosorum vita, octavum hunc scribimus de Miraculis Confessorum.

Liber de vita quorundam Feliciosorum idem est, quem alias de Vita Patrum inscripsit, ut in prologo ejus libri et saepe in Historia fecit.

Deinde in epilogo libri decimi Historiae leguntur verba: „Decem librosHistoriarum, septem Miraculorum, unum de Vitis Patrum scripsi. In psalterii tractatum librum unum commentatus sum, decursibus etiam ecclesiasticis unum librum condidi.“ Quae verba Ruinartum, ut septem libros Miraculorum constitueret commoverunt; at quum valde suspecta ea sint, sicuti in additamento probabimus, prologum libri de Glor. Conf. sequi et octo libros ponere tutius putavimus.



sunt. [2]) Alia, quae quam plurima olim immerito ei tribuebantur, ut liber de Mirabilibus S. Medardi, de gestis Pilati, de vita Aredii abbatis, similia, praetereo, quoniam neque ad Historiam illustrandam quid conferunt, et satis lucide de iis a viro doctissimo Ruinarto expositum est. Idem vir, ut alios eandem rem tractantes hoc loco praeteream, extra dubitationem posuit: Gregorium neque Historiam epitomatam, quae nunc Fredegario tribuitur, neque Gesta Francorum neque Chronicon praeter Historiam ecclesiasticam scripsisse, etsi Sigiberti Gemblacensis nonnullorumque manuscriptorum auctoritate freti plures ita censuerunt. [3])

Qua re primum de Miraculorum libris disseramus, qui quidem ad Gregorii vel clericorum hujus aetatis omnium notiones pernoscendas multum valent, nec tamen quod historiam attinet, magni faciendi sunt.

### A. DE MIRACULORUM LIBRIS OCTO.

Hi sunt: 1) Liber de Gloria Martyrum, 2) de Miraculis S. Juliani, qui et liber secundus de Gloria

[2]) Scripsit prologum libri, quem de Missis Sidonius Appollinaris composuit (Hist. II. 22), et Passionem septem Dormientium, auxilio Syri cujusdam, in latinam linguam transtulit (Glor. Martyr. c. 95 fine.) Quae scripta sicuti liber de cursibus ecclesiasticis, quem epilogus lib. X. commemorat (vid. not. 1.), aetatem non tulerunt. De psalmis commentariorum, quae idem epilogus nominat, pauca tantum fragmenta supersunt, ita ut ne explorari quidem possit num revera Gregorio tribuenda sint. Ruinartus tamen ea Gregorii operibus addenda curavit, uti praefationem quoque libri de Miraculis Andreae (Greg. Opp. omn. pag. 1257—66.), quam a Gregorio scriptam esse putat. De quibus omnibus vide: *Ruinart.* praef. §. 72. sqq. *Histoire liter. de France* T. III. p. 386. sqq.

[3]) Adhuc hunc errorem invenias apud *G. J. Vossium:* (de Histor. Lat. Lugd. Bat. 1651 II. 22. pag. 254) siquidem is auctore Sigiberto Gemblacensi (in libri de scriptt. eccles. cap. 49) praeter Historiam et Chronicon et Historiae epitomen, cujus auctor nunc Fredegarius appellatur, Gregorio tribuit; deinde pluribus Gestorum manuscriptis Gregorii nomen inscriptum invenitur. Vid. Ruin. praef. §. 82.

Martyrum dicitur. 3) De Gloria Confessorum. 4—7) Quatuor libri de Miraculis S. Martini. 8) De Vita Patrum.[4])

Quibus in libris Gregorius miracula, eaque singula plerumque singulis capitibus, eo consilio narravit, ut viros Sanctos mira virtute ac potestate praeditos esse, hominibusque etiam post obitum curare atque providere demonstraret. Qui quum dei praesentes in terra ministri essent, bonosque tuerentur et in nefarios vindicarent, hoc modo hominibus languidis torpentibusque velut stimulos admovit; simul, quum iidem ecclesiae antistites putarentur, hujus majestatem ante omnium oculos posuit. Sanctorum vero virtutem certis quibusdam locis, aut prope sepulcra aut in basilicis inprimis manifestam esse, eorumque iram sceleribus suscitari, auxilium precibus impetrari docuit.

Quod si animo reputamus, Germanos homines feroces, qui modo pagani fuerant, criminum poenas tales tantummodo agnovisse, quibus damna compensarentur, neque ejus, quam sceleribus commissis contrahimus cujusque rationem deo reddere debemus, culpae notionem ullam iis fuisse, in qua quidem notione omnia Christianae virtutis humanitatisque initia atque principia posita sint[5]); facile intelligemus quanti ea aetate Gregorii scripta fuerint, quibus deum hominum judicem esse suo quidem more docuit. Deinde consi-

---

[4]) Eum librorum ordinem servavi, quem Ruinartus in editione sua constituit. (Greg. Opp. pag. 713—1236.) Ceterum de his conferas inprimis Histoire literaire de France. T. III. pag. 382—386.

[5]) Id spectans Dahlmann verissime atque pulcherrime ita dixit: (Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte, Altona 1822. Th. I. pag. 402.)

„Die heidnische Gesetzgebung, die allein Entschädigung kennt, scheint mir einen Kern unheilbarer Rohheit zu enthalten, und wenn dagegen die neue Geistlichkeit lehrte: die Vergehungen vielmehr als eine Sünde gegen die göttliche Ordnung zu strafen: so lässt sich hierin nur Besserung erkennen, und, *bei gehöriger Entwickelung*, die Grundlage einer den besten Kräften der Menschheit allerdings entsprechenden Staatsordnung.“



derantibus nobis, quam difficile sit hominibus, qui id solum, quod oculis vident sensibusque, ut ita dicam, comprehendunt, verum existimant, sententiam aliquam probatam acceptamque reddere, quae vero atque quanta clerici, ex ipsorum de officiis notionibus, a viris rudibus neque aliud nisi libertatem, bellum simulque otium appetentibus exigi voluerint; confitendum sane est, eos nonnisi Sanctis in auxilium accitis Germanorum ferocitatem vincere potuisse. Qua re ne Gregorius quidem, quod hujus aetatis opinionibus imbutus fuerit atque miracula narraverit, reprehendendus est. Quin hanc ei laudem tribuere debemus, quod aptissima illa, quibus homines aut alliceret aut deterreret attulerit.

Primum enim requiri debebat, ut fides recta servaretur, ecclesia sancta, Sancti omnipotentes haberentur. Qua re Gregorius assidue demonstrat veram esse fidem catholicam; qua re horrenda illa exempla exitii, quo haeretici omnes opprimendi essent, affert, atque tot narrationibus succurrere Sanctos Fidelibus, sanare aegrotantes, liberare captivos, servare perituros probat. Secundum erat templorum sanctitatem et jus asyli defendere, quoniam in eo praecipue clericorum auctoritas posita erat, et hoc ultimum hominum inferiorum ordinum minorisque potentiae erat refugium. Morte igitur subita feritur, quicunque loca sancta laedit.

Eodem modo punitur, qui bona ecclesiae diripere ejusque sacerdotes offendere audet. Qua enim alia ratione nisi minis metuque cupiditas atque vis hominum potentium arceri potuit?

Perjurii deinde crimen non nisi Sanctorum, qui animos hominum penitus cognitos resque omnes exploratas haberent, terrore reprimi potuit, praesertim quum jurejurando plerumque sive culpa sive innocentia hominum in judiciis probaretur.

Difficillimum deinde erat, vulgum commovere, ut Sanctorum dies festos otio et precibus celebraret, omniaque, quae ad quotidianum usum laboremque pertinerent, negligeret.[6])

---

[6]) Satis rude homo nescio quis alii monenti, ne die Sancto

Severe igitur in omnes, qui ecclesiae praecepta negligerent, vindicandum erat, probandumque non solum nefarium verum etiam inutilem ac periculosum his diebus omnem laborem esse.

At haec sufficiant; satis enim apparebit, ex libris Miraculorum colligi posse, quid bonum honestumque Gregorius censuerit. Ceterum in iis pauca profecto insunt, quae aut reipublicae conditionem et instituta publica illustrent, aut historiae lumen aliquod afferant. Sed jam de singulis libris, quorum unumquemque praefatione brevi ornavit, pauca dicamus.

## 1. DE GLORIA MARTYRUM.

Hujus libri capitibus, quae sunt 107, Gregorius miracula narravit, quae ante ipsum natum maxima ex parte Sancti fecisse ferebantur[7]), quaeque in Arvernia plerumque acciderant. Nimis incautum haud raro Gregorium fuisse, qui miracula crederet, cum ex aliis capitibus apparet, tum cap. 14 probat, quo narrat mulierem S. Johannis baptistae pollicem dono ab eo accepisse.

## 2. DE MIRACULIS ST. JULIANI.

Julianus Arverniae provinciae patronus erat, ut Martinus Caesaroduni oppidi; qui et salutem saepe Arvernis et ecclesiae honorem attulit; nam ejus basilica tutum incolis refugium erat[8]), atque hujus patroni auctoritas procul dubio Theudebertum[9]) et Childebertum[10]) reges, ut tributa a clericis minus severe

---

cuidam festa annonas aqua infectas torreret, in hunc modum respondit: „Putasne o tu, qui haec loqueris, quod homo elisus ex arbore propter compendia gulae Angelorum sit relatus consortio, ut sanctus debeat adorari? Melius est enim opus necessarium in domo exercere, quam talem Sanctum adorari.“ Igne concrematus est miser. Glor. Conf. c. 81.

7) Vid. not. 1.

8) Mirac. Jul. c. 13; Hist. III. 13.

9) Hist. III. 25.

10) Hist. X. 7.



exigerent, commovit. Qua re grato animo Gregorius ejus gloriam capitibus 50 celebravit.

## 3. DE GLORIA CONFESSORUM.

Eodem fere modo hic liber scriptus est, quo liber de Gloria Martyrum. Plura tamen Gregorius narrat, quae ipsius aetate in Arvernia et Caesaroduni inprimis acciderunt. Sunt capita 112.

## 4—7. DE MIRACULIS ST. MARTINI LIBRI QUATUOR.

Ut Caesaroduni patronum, cui et civitas et ipse Gregorius gratias quam maximas debebat, ea qua par erat pietate veneraretur, noster, Severi Sulpitii et Paulini vestigia secutus[11]), quibus rebus gestis Martinus cum olim tum nuper virtutem potestatemque ostenderit exposuit. Paullatim quatuor libros conscripsit, quibus in componendis plures annos consumsit.[12]) Capita singula plerumque brevissima sunt ac satis jejuna.

## 8. DE VITA PATRUM.

Viginti virorum sanctorum vitas variis temporibus Gregorius scripsit, quas postea omnes in unum librum conjunxit, atque eum „de Vita Patrum seu Feliciosorum“ inscripsit.[13])

Is inter libros Miraculorum dignissimus est qui

---

11) Vide Prol. Mirac. Mart. lib. I.

12) Cf. infra pag. 35.

13) Vita Patrum prol.: „Et quaeritur a quibusdam utrum Vitam Sanctorum an Vitas dicere debeamus. Agellius autem et complures alii philosophorum Vitas dicere voluerunt; nam Plinius auctor in tertio grammaticae libro ait: Vitas antiqui cujuscunque nostrum dixerunt; sed Grammatici pluralem non putant habere vitam; unde manifestum est *melius* dici *Vitam* Patrum quam *Vitas*.“

legatur, quia viri, quorum memoriam literis mandavit, plerumque saeculo sexto vixerunt. Qua re quum copiosius noster scriberet, et qui eum puerum educaverint et qui de rebus gestis certiorem eum fecerint magna ex parte discimus. Deinde quod a viro Sancto exigendum putaverit ex hoc libro cognoscimus.

## DE TEMPORE,

quo Gregorius singulos Miraculorum libros composuerit, si quaeritur, confitendum sane est vix aliquid certi ac definiti explorari posse; cujus rei ea causa habenda est, quod in ipsa scriptorum natura positum erat, ut non uno tenore perficerentur. Singulas enim singulis capitibus narrationes, nullo modo inter se junctas, continent, atque miracula, alia alio tempore facta, referunt, quae aut ipse Gregorius viderat aut ab aliis relata audiverat.[14] Qua re, collectis paullatim narrationibus, sensim ac pedetentim libros composuit, novaque miracula ubi comperit nova capita iis, alia alio tempore, addidit. Neque ita Gregorius scribendum instituit, ut recentiorem quemque librum nonnisi reliquis jam confectis inchoaret; sed plures simul aut incepit aut vario tempore inceptos continuavit, et quaecunque memoratu digna habuit vel huic vel illi libro, uti videbatur scriptorumve natura ferebat, inseruit. Denique extrema vitae aetate praefationibus libros ornavit, et in ordinem aliquem unumque volumen eos redegit.[15])

Quo vero anno unumquemque inchoaverit, quo finiverit, parum constat; qua re ea tantum adjicere animus est, quibus sententia modo posita confirmari videatur; atque primum

**De quatuor licris Miraculorum S. Martini** dicamus. Quibus in componendis plures annos eo modo consumsit, ut intermisso aliquamdiu scribendi labore, ad idem studium, ubi nova miracula cognoverat, reverteretur.[16]) Atque libro **quarto** scribendo post annum 593 adhuc operam dedit[17]); imo, quum nullum ei epilogum adjecerit neque finem libri esse indicaverit, uti in antecedentibns fecit[18]), deinde quum non ita multo post annum 593 obierit, morte ipsa, quominus plura ei capita seu quintum librum adderet, impeditus esse videtur. **Tertium** vero librum jam ante annum 591 inchoavit, uti ex ejus capite XXIV. perspicitur; quo quidem capite Aredium abbatem, anno 593 mortuum[19]), adhuc viventem laudat[20]); imo ante annum 588 eum inceptum esse inde apparet, quod ejus capite VI. liber de Gloria Confessorum laudatur, quem ante annum 588 scriptum esse infra demonstrabimus. Denique **secundum** per octo adeo annos continuavit [21]); qua re omnibus quatuor componendis plus quam decem annos operam dedit.

---

[14]) Mirac. Martin. II. prol.: „Quoniam perscriptis virtutibus S. Martini, quas vidimus vel a fidelibus viris de ante acto tempore reperire poiuimus."

[15]) Cf. Ruin. praef. §. 83.; Bähr l. l. pag. 141.

---

[16]) *Mirac. Mart. lib. II.* cap. 60. i. e. ultimo: „Multa quidem sunt et alia, quae vir beatus quotidie operatur, quae insequi longum est. *Tamen* si *adhuc* meremur *videre* miracula, placet ea *alteri* injungi libello." Cf. et *Mirac. Mart. III. 60* (i. e. fine) „*Sufficiant* ergo haec *huic libello* quae indita sunt. Tamen, si *adhuc* miracula *cernere meremur*, placet ei alteri libello iuseri."

[17]) Nam *Mirac. Mart.* IV. 37 Guntramui mors († 593) commemoratur.

[18]) Libro primo hoc Virgilii versu finem imposuit:
„Forsan et hacc olim meminisse juvabit."
De secundo et tertio vide: not. 16.

[19]) Hist. X. 29. „Aredius quoque hoc anno terras relinquens migravit ad coelum"; i. e. anno XVI. Childeberti. (Hist. X. 24) vel 591.

[20]) Mirac. Mart. III. 24: „Sed revertamur ad Aredium nostrum ... cui saepius de suis pignoribus cernere miracula *praestat*."

[21]) Mirac. Mart. II. 60: „Spes autem mihi erat me non frustrari a voto, quod in *octo annis* Domino jubente complevi, ipso scilicet libro a virtute super me facta coepto, ad me iterum sum regressus."

Gregorius enim et in primo et in ultimo (sexagesimo)

**Librum de Gloria Confessorum**, quum ejus capite duodecimo bellum, quod Hermenegildus contra Leovigildum patrem, Wisigothorum regem, gessit (583 — 85) commemoretur, capite XCV. vero Charimeres, qui anno 588 episcopus factus est[22]), Childeberti referendarius dicatur[23]), infra annos 583—588, maxima certe ex parte, scriptum esse manifestum est.

**Liber de Miraculis Juliani**, quum in ejus capite XL. liber secundus Miraculorum Martini laudetur, post hunc scriptum esse videtur; ipso autem

**Liber de Gloria Martyrum** recentior est, siquidem in ejus capite LXV. liber de S. Juliano commemoratur[24]); idem tamen ante librum de Gloria Confessorum scriptus est[25]), ita ut is supra dictorum librorum ordo constituendus sit[26]):

---

hujus libri capite narrat, quo modo auxilio Martini sanitatem recuperaverit.

22) Hist. IX. 23 (a. 588) „Charimerem referendarium... regalis auctoritas decrevit fieri Sacerdotem "

23) Glor. Conf. c. 95 „Charimeres, qui *nunc* referendarius Childeberti regis habetur."

24) Glor. Martyr. c. 65. „De cujus virtutibus (sc. Juliani) ... in libro quem de ejus miraculis proprie scribere praesumsimus, declaravimus." Qua re errat Ruinart, qui (praef. §. 83.) librum de Juliano recentiorem putat, quippe cujus in prologo liber de Glor. Martyr. laudetur. Quod falsum est.

25) Libri de Glor. Conf. in cap. 69 et 106 liber de Glor. Martyr. laudatur.

26) Is tamen ordo quasi certus, qui concuti nunquam possit, eam ob causam constitui non potest, quia ita fortasse accidit, ut Gregorius postea demum, quum libros jam confectos relegeret et similia jam alibi se scripsisse cognosceret, singula verba adjiceret, quibus alios libros laudaret. Sed tamen, ubi quid verum sit explorari non potest, quid veri simillimum sit inquirendum est.

27) Vide not. 17. Ruinartus (l. l. §. 83), Cointium secutus, (Annall. eccles. Tom. II. pag. 408) ex Mirac. Mart. IV. 5 consequi putat, hunc librum post annum 594 demum *inceptum* esse. Qua in re errat; Cointius enim textu depravato in errorem ducitur, quem Ruinartus sic restituit:

„Eo anno id est Childeberti regis tertio decimo (588) ad festivitatem (Martini) *venit* servus Theodulfi ... custos su-



1—2) Liber I. et II. de Mirac. Mart.
3) de Mirac. Juliani.
4) de Gloria Martyrum.
5) liber III. de Mirac. Mart.
6) de Gloria Confessorum.
Quos omnes ante annum 588 incepit; sed num hoc ipso anno eos jam perfecerit, incertum est.
7) Librum quartum de Mirac. Mart. anno 593 nondum perfecerat, uti supra diximus.[27])
8) **Vitas patrum**, quas singulas variis temporibus scripsit[28]), sero demum collegit, atque in unum volumen junctas prologo ornavit. In hoc enim librum de Gloria Confessorum laudat[29]), quo in ipso singulas patrum vitas commemorat.[30])

Eodem modo, quum prologum libri de Gloria Confessorum, ante annum 588 scripti ut diximus, post annum 593 demum adjecerit[31]), inde apparet: prologos libris esse recentiores, atque eo fortasse tempore adjectos, quo emendandos edendosque libros curaverit.

---

illae, *qui* dum nocte excubaret circa gregem creditum ... lumen amisit. Qui per sex annos in caecitate durans ad *hanc* festivitatem advenit; post tertium vero diem Sancti virtute illuminatus est..."

Apparet ipso anno 588 servum *sanum redditum* esse; Cointius, qui verba *venit* et *qui* desiderat, anno 588 eum *obcaecatum*, itaque anno 594 *sanatum* putat.

28) In reliquis enim libris omnibus singulas Sanctorum vitas laudat; nomen tamen volumini, viginti omnes continenti, postea demum inscripsit, uti ex prologo discimus; vid. not. 1[illegible].

29) Vita Patrum prol.: „Et scripsi fateor in inferiore Confessorum libro aliqua de quorundam vita."

30) E. g. Glor. Conf. capite 15 laudat vitam S. Venantii (Vita Patr. c. 16); cap. 24 vitam Monegundis (c. 19.)

31) Laudatur enim in prologo liber quartus de Mirac. Mart. (vid. not. 1), qui post annum 593 scriptus est. (cf. not. 17.)

## B. DE HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBRIS DECEM.

Scriptorum, quae Gregorius composuit, omnium longe amplissima atque gravissima ejus Historia Francorum est. Quae in vetustissimo codice Corbejensi inscribitur „Historiae ecclesiasticae Francorum libri decem;“ alias sive „Historia Francorum“ sive „Gesta Francorum“ sive „Chronicae“ vel „Chronici“ appellatur.[32])

De qua ut via ac ratione agamus, primum dicendum est:

### 1. DE HISTORIAE ARGUMENTO ET PARTIBUS.

Decem Gregorius libris historiam inde ab Adamo usque ad annum 581 p. Ch. complectitur[33]); quibus omnibus praefationem praemittit, qua invitum se ad historiam scribendam accessisse profitetur, ac plus oneris suscepisse, quam ferri posse intelligit; sed eo commotum se esse, quod et desint, qui lucide ornateque res gestas exponere possint, et hi, qui fere ipsum doctrina antecedant, historiae scribendae officium non suscipiant. Qua re quum ipse, qui ne artis grammaticae quidem sit peritus, tamen necessitate quadam ad scribendi partes subeundas trahatur; illud sibi solatio esse, quod ipsum ceteri homines rudes barbare loquentem melius intelligant, quam si erudita oratione usus esset. Praeterea librum primum, secundum, tertium et quintum singulos singulis prologis ornavit.

Atque primo libro, postquam catholicum se esse

---

[32]) Ruin. l. l. §. 85. Ea fortasse causa est, quod Sigibertus Gemblacensis Gregorium Chronicon praeter Historiam scripsisse putavit.
Vide not. 3. cf. Bähr l. l. pag. 139.

[33]) Nonnulli codices librum nonum et decimum in unum conjungunt, et Fredegarii Chronicon decimum addunt (Ruin. praef. §. 97. 124) Contra alii, qui Gregorii Historiam ediderunt, Chronicon undecimum librum apposuerunt. Cf. Histoire lit. l. l. pag. 381 sq. Bähr l. l. pag. 146.



confessus est, historiam, paucis de Judaeis, pluribus de Christianorum variis conditionibus memoratis, inde a principio mundi usque ad mortem S. Martini, Turonensis episcopi († 397), perducit, id potissimum spectans, ut annorum et temporum computationem doceat. In secundo libro exponit, quomodo Catholici Francorum auxilio Arianos, modo victores superbos, tandem aliquando profligaverint. Paucis igitur de Francorum origine et primis regibus allatis, de Chlodovechi inprimis victoriis usque ad ejus mortem († 511) agit. Tertio Historiae libro de rebus gestis Francorum usque ad mortem Theudeberti regis († 548.), quarto usque ad mortem Sigiberti († 575) exponit. Quinto (usque ad a. 580) et sexto (usque ad a. 584) bellis civilibus Chilperici enarratis, reliquis quatuor libris, quomodo Guntramnus et Childebertus II. rem publicam, quae labefactata jamjam nutabat, restituerint et rursum hostibus potius quam civibus bella intulerint memoriae tradit.

Libro decimo, qui historiam usque ad annum 591 triginta capitibus enarrat, editiones caput tricesimum primum ut epilogum apponunt. Omnes ibi Turonum episcopi nominantur; sed hoc caput Gregorio vix tribui posse in additamento demonstrandum erit.

Quibus ita positis jam cognoscitur, Gregorium partim res ante eum natum gestas, partim ea, quae sua aetate acciderint, literis mandasse. Quam ob rem quum intersit inter ea, quae facta esse alios secutus referat, eaque, quorum ipse auctor atque testis sit; qua operis parte Gregorius non nisi relata narret, qua vero ipsius aetate facta et ab ipso cognita literis mandet videamus. Qui quum in prioribus tribus libris historiam inde ab Adamo usque ad annum 548, quo anno puerulus erat, tantummodo perducat; satis inde apparet ea his libris Gregorium enarrasse, quae videre ne potuerit quidem. Nam in extrema quoque libri tertii parte, qua de aula Theudeberti agitur, qui rex in Austrasia sedem ab Arvernia satis remotam habebat, ea tantum exhibentur, quae Gregorius aut ex scriptis hausit aut ab aliis relata audivit. Contra quum

## B. DE HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBRIS DECEM.

Scriptorum, quae Gregorius composuit, omnium longe amplissima atque gravissima ejus Historia Francorum est. Quae in vetustissimo codice Corbejensi inscribitur „Historiae ecclesiasticae Francorum libri decem;“ alias sive „Historia Francorum“ sive „Gesta Francorum“ sive „Chronicae“ vel „Chronici“ appellatur.[32])

De qua ut via ac ratione agamus, primum dicendum est:

### 1. DE HISTORIAE ARGUMENTO ET PARTIBUS.

Decem Gregorius libris historiam inde ab Adamo usque ad annum 581 p. Ch. complectitur[33]); quibus omnibus praefationem praemittit, qua invitum se ad historiam scribendam accessisse profitetur, ac plus oneris suscepisse, quam ferri posse intelligit; sed eo commotum se esse, quod et desint, qui lucide ornateque res gestas exponere possint, et hi, qui fere ipsum doctrina antecedant, historiae scribendae officium non suscipiant. Qua re quum ipse, qui ne artis grammaticae quidem sit peritus, tamen necessitate quadam ad scribendi partes subeundas trahatur; illud sibi solatio esse, quod ipsum ceteri homines rudes barbare loquentem melius intelligant, quam si erudita oratione usus esset. Praeterea librum primum, secundum, tertium et quintum singulos singulis prologis ornavit.

Atque primo libro, postquam catholicum se esse

---

32) Ruin. l. l. §. 85. Ea fortasse causa est, quod Sigibertus Gemblacensis Gregorium Chronicon praeter Historiam scripsisse putavit.
Vide not. 3. cf. Bähr l. l. pag. 139.

33) Nonnulli codices librum nonum et decimum in unum conjungunt, et Fredegarii Chronicon decimum addunt (Ruin. praef. §. 97. 124) Contra alii, qui Gregorii Historiam ediderunt, Chronicon undecimum librum apposuerunt. Cf. Histoire lit. l. l. pag. 381 sq. Bähr l. l. pag. 146.



confessus est, historiam, paucis de Judaeis, pluribus de Christianorum variis conditionibus memoratis, inde a principio mundi usque ad mortem S. Martini, Turonensis episcopi († 397), perducit, id potissimum spectans, ut annorum et temporum computationem doceat. In secundo libro exponit, quomodo Catholici Francorum auxilio Arianos, modo victores superbos, tandem aliquando profligaverint. Paucis igitur de Francorum origine et primis regibus allatis, de Chlodovechi inprimis victoriis usque ad ejus mortem († 511) agit. Tertio Historiae libro de rebus gestis Francorum usque ad mortem Theudeberti regis († 548.), quarto usque ad mortem Sigiberti († 575) exponit. Quinto (usque ad a. 580) et sexto (usque ad a. 584) bellis civilibus Chilperici enarratis, reliquis quatuor libris, quomodo Guntramnus et Childebertus II. rem publicam, quae labefactata jamjam nutabat, restituerint et rursum hostibus potius quam civibus bella intulerint memoriae tradit.

Libro decimo, qui historiam usque ad annum 591 triginta capitibus enarrat, editiones caput tricesimum primum ut epilogum apponunt. Omnes ibi Turonum episcopi nominantur; sed hoc caput Gregorio vix tribui posse in additamento demonstrandum erit.

Quibus ita positis jam cognoscitur, Gregorium partim res ante eum natum gestas, partim ea, quae sua aetate acciderint, literis mandasse. Quam ob rem quum intersit inter ea, quae facta esse alios secutus referat, eaque, quorum ipse auctor atque testis sit; qua operis parte Gregorius non nisi relata narret, qua vero ipsius aetate facta et ab ipso cognita literis mandet videamus. Qui quum in prioribus tribus libris historiam inde ab Adamo usque ad annum 548, quo anno puerulus erat, tantummodo perducat; satis inde apparet ea his libris Gregorium enarrasse, quae videre ne potuerit quidem. Nam in extrema quoque libri tertii parte, qua de aula Theudeberti agitur, qui rex in Austrasia sedem ab Arvernia satis remotam habebat, ea tantum exhibentur, quae Gregorius aut ex scriptis hausit aut ab aliis relata audivit. Contra quum

quarti in libri initio statim ea potissimum, quae in Arvernia acciderunt, quaeque ipsi cognoscere licuit, multis verbis[34]), quae vero alibi gesta esse ex aliis comperit, brevissime exponat[35]); hinc perspicitur inde a quarto demum libro Gregorium uti aequalem illorum temporum historiam narrare, et inde in ipsius auctoritate relatorum fidem positam esse. Quod ita esse ipse intelligit, veritus ne malevolentiae suae tribuatur, quod (quarto libro) de Cautino episcopo nefanda multa retulerit.[36])

## 2. QUO TEMPORE

Gregorius Historiam composuerit, quum parva tantum ignicula supersint, quae lumen afferant, exploratu difficillimum est; itaque rem in dubio fere viri eruditi reliquerunt, nisi quod Ruinartus Historiam post Miraculorum libros, itaque extrema Gregorii aetate, scriptam esse censet.[37]) Quam sententiam eo satis confirmare sibi videtur, quod Gregorius in Historia Miraculorum libros saepe laudet, illius autem in his mentionem non faciat.

Quod idem libri decimi epilogum, quo ipse Gregorius anno vicesimo primo episcopatus sui Historiam

[34]) Uti plurima de Cautini, Arvernorum episcopi (553—571) in Catonem presbyterem inimicitia refert (Hist. IV. 5—8. 12. 13. 15.) Eodem modo de Chramni, Chlotacharii filii, rebus in Arvernia gestis multa narrat. (Hist. IV. 6. 13. 16. 17.)

[35]) De Theodobaldo, Austrasiorum rege, nihil fere Gregorius memorat (Hist. IV. 9); simili ratione Chlotacharii I. contra Saxones bella acerrima pro eorum gravitate brevius narrat. (Hist. IV 10. 14. 16 fine. 17.)

[36]) Laudat enim Sallustii verba: „Arduum videtur res gestas scribere; primum quod facta dictis exaequanda sunt; deinde quia plerique delicta, quae reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant.“ Hist. IV. 13.

[37]) Ruinart. praef. §. 84 ceteros libros omnes ante Historiam scriptos esse contendit, unde sequeretur anno 594 totam Historiam scriptam esse, quamquam id quidem apertis non dicit.



se scripsisse dicit[38]), uti testimonium sententiam probandi tutissimum non affert, haud scio an ea re moveatur, quod suspectum epilogum habeat. Quamquam enim Cointium, qui spurium epilogum esse contendit refellere conatur, tamen, rem confectam non esse intelligens, caute atque prudenter ex epilogo argumentum probandi sententiam haurire praetermittit. Et quidem tantum abest, ut Ruinarti de epilogo positis acquiesci possit, ut Cointio assentiendum sit, quod in additamento pluribus dicendum erit.

Deinde etsi recte Ruinartus monet, libros Miraculorum in Historia laudari, tamen ea re id quod vult non efficit. Nam quum alii alio tempore libri scripti sint, interest profecto quos Gregorius laudaverit et quo Historiae loco. Nimirum quum in prioribus sex libris Historiae liber quartus de Miraculis Martini non laudetur, quem solum affirmari possit post annum 588 demum scriptum esse[39]); nihil jam impedit, quominus non uno anno omnes, sed alios alio tempore libros scriptos esse censeamus. Qua de re cum pluribus in additamento disputandum sit, hoc loco summam tantum exhibeamus. Etenim ultimis quatuor libris componendis extrema vitae aetate Gregorium operam dedisse, extra dubitationem positum est. Priores vero sex aliquot annos antea seorsim editos esse et manuscriptorum conditione et Fredegarii auctoritate, ut alia hoc loco praeteream, commoti jam pridem nonnulli putaverunt, nec Ruinartus abnuit.[40]) Denique inter quartum etiam et quintum librum componendum tempus aliquod intercessisse plura testantur ita ut verisimillimum esse appareat, Gregorium sicuti in Miraculorum ita et in Historiarum libris componendis plures annos consumsisse ac sensim pedetentimque novos semper antecedentibus adjecisse.

[38]) Hist. X. cap. 31. §. 19. „Hos autem libros in anno vicesimo primo ordinationis nostrae perscripsimus.“

[39]) Vide supra pag. 35.

[40]) Ruin. praef. §. 84. Cf. Bähr l. l. pag. 140.

## 3. DE GREGORII HISTORIAM SCRIBENDI CONSILIO AC RATIONE.

Quo magis appareat, quae propria Historiae natura sit, et quo clarius perspiciatur, qua scribendi ratione usus fuerit, duo potissimum sunt, ad quae animum advertamus necesse est.

Atque ut id primum collocemus, quod totius operis summum esse jam ipso nomine ac titulo indicatur, si quidem „Historia ecclesiastica Francorum“ inscribitur; Gregorius, Eusebii, Hieronymi et inprimis Orosii vestigia secutus, eo consilio Historiam scribendam suscepit, ut ad fidei rectae laudem et ecclesiae auctoritatem aliquid afferret. Quod ut perficeret, tria potissimum elaboranda sibi proposuit:

1) ut iis, qui finem mundi metuerent, solatium praeberet[41]), atque simul, quae deo majestas, quaeque fidei rectae vetustas sit, ante oculos poneret: m u n d i a e t a t e m docendam sibi esse existimavit.

2) ut v e r a m esse f i d e m c a t h o l i c a m evinceret, operam dedit. Quod quanti fecerit, jam ex libri primi initio colligi potest, quo veritus, ne quis ipsius fidem dubitaret, quae vera crederet exposuit.[42])

3) S a n c t o r u m p o t e s t a t e m celebrare studuit; nam quidquid eorum laudi attulerit, id omne ad ecclesiae auctoritatem et sacerdotum dignitatem pertinere intellexit.

Duplex est autem ratio, qua ad sententiam aliquam probandam rebus gestis uti possis, quum aut ita plures jungas atque connectas, ut id quod agas inde consequatur; aut singulas eo modo narres, ut sententiae testimonio esse videantur. Quarum utram-

[41]) *Hist. I. prol.* „Illud etiam placuit propter eos, qui appropinquante mundi fine desperant, ut ... explanetur aperte, quot ab exordio mundi sint anni.

[42]) *Ibidem*: „Scripturus bella regum cum gentibus adversis, Martyrum cum paganis, Ecclesiarum cum haereticis, prius fidem meam proferre cupio, ut, qui legerit, me non dubitet esse catholicum... Illud tantum studens, ut quod in Ecclesia credi praedicatur sine aliquo fuco aut cordis haesitatione retinerem... Credo ergo in Deum Patrem“ sqq.



que Gregorius in usum vocat. Nam ut m u n d i a e t a t e m doceat, Historiam inde ab Adamo incipit, nec plura commemorat, quam quae ad temporum ordinem illustrandum usui sint. Deinde fine libri primi, secundi, tertii et quarti annorum numerum computat[43]), ita ut ipsis rebus gestis enarratis hunc docuisse videatur. Qua in re Eusebii et Hieronymi ratiocinationibus, quoad potuit, utitur.[44])

Deinde ut f i d e i c a t h o l i c a e praestantiam demonstret, in prioribus tribus libris fidei rectae historiam quandam exhibet; nam Judaeorum rebus gestis breviter expositis, imperatorum Romanorum in primos Christianos saevitiam deplorat, Arianorum rursum superbiam atque in catholicos crudelitatem exsecrat, et catholicorum tandem victoriam celebrat. Atque quo clarius ea in re dei providentia atque majestas appareat, et fidei rectae laudem omnem tribuendam esse perspiciatur: Vandalorum, quum Ariani errorem impium secuti essent, regnum cito periisse[45]); eadem ratione Alaricum, Arianum, dei judicio a Chlodovaeo victum, atque Burgundiones a Francis in ditionem subactos esse ostendit.[46]) Qua in re Orosium, cujus historiam ecclesiasticam contra paganos scriptam summa diligentia perlegerat[47]), imitatus est.

[43]) Id quod in epilogo quoque libri decimi factum est. Eam tamen computationem Gregorio non tribuendam esse, in additamento demonstrabimus.

[44]) Vid. Hist. I. prol. Cf. et infra Cap. III. not. 3.

[45]) Vid. Hist. II. 3. fine.

[46]) Hist. III. prol. „Velim si placet parumper conferre, quae Christianis beatam confitentibus Trinitatem prospera successerint et quae haereticis, eandem scindentibus, fuerint in ruinam.... Hunc Chlodovechus rex confessus ipsos haereticos adjutorio ejus oppressit, regnumque suum per totas Gallias dilatavit; Alaricus hanc denegans a regno et populo atque ab ipsa, quod majus est, vita aeterna multatur. Dominus autem se vere credentibus, etsi insidiante inimico aliqua perdant, hic centuplicata restituit; haeretici vero nec adquirunt, sed quod videntur habere, aufertur ab eis. Probavit hoc Godegiseli, Gundebaldi atque Godomari interitus“ sqq.

[47]) Orosium saepissime laudat (Hist. I. prol.; I. 6. 37. II. prol. 9. V. prol.; Glor. Conf. 1; Mirac. Jul. 7. etc.)

Sed etiam singulis plurimis, quaecunque ad id quod vult demonstrandum apta habet, allatis propositum exsequendum curat. Ita disputationes contra Arianos habitas refert, et quomodo errores eorum impios refutaverit exponit.[48])

Quod vero tertium sibi proposuit, uti **Sanctorum** summam potestatem ante hominum conspectum poneret, ita efficiendum curavit, ut deum per ministros suos, Sanctos, hominum res publicas domesticasque administrare ostenderet. Itaque et scelera hominum, quae poena subsecuta est, quam plurima memoriae tradidit, et saepissime bonorum vitas tranquille beateque peractas Historiae inseruit.[49])

Quae quum ita sint, jam quid ex his ad scribendi genus constituendum consequatur videamus. Etenim ipsius operis natura, quum non in rebus gestis enarrandis cardo positus sit, ita ferebat, ut multa, quae satis gravia acciderunt, nec ignota Gregorio fuerunt, aut omnino omitterentur, aut justo brevius tractarentur.

Ita nec foederis, quod Chlodovechus, antequam Wisigothis bellum inferret, cum Burgundionibus iniit 508, nec ejus quod Chlodovechi filii cum Vitige, Gothorum rege, sanxerunt (536), mentionem fecit, nec pactum, quod Chariberto mortuo (567) ab ejus fratibus ictum esse sciebat[50]), suo loco commemoravit. Simili ratione concilia nonnulla, quibus non intererat, quae tamen ampla ac gravia convocata esse sciebat, non nominavit.[51])

---

48) Disputationes contra Arianos aliosque haereticos habitas plures retulit. Vid. Cap. I. not. 62.

49) Hist. II. prol. „Prosequentes ordinem temporum, mixte confuseque tam virtutes Sanctorum quam stragas gentium memoramus. Non enim irrationabiliter accipi puto si felicem Beatorum vitam inter miserorum memoremus excidia.“

50) In pacto Andelaensi (587) multa de pacis post Chariberti mortem initae conditionibus disseruntur Hist. IX. 20. Cf. et Hist. IV. 46.

51) Gregorius Hist. VII. 17 narrat Promotum, Dunensis tractus episcopum, muneris honore privatum esse. Hunc Egidius, episcopus Remensis, Sigiberto vel imperante vel permittente, consecraverat, concilii Parisiensis (a. 573 convocati) praecepta negligens (Cf. Epistolas de episcopatu Dunensi: *Ruin. Greg. Opp.* pag. 1340 sqq.; *Bouquet* Recueil des Historr. d. Gaull. T. IV., pag. 79 sqq.) Cujus concilii mentionem Gregorius non fecit, quamquam pernotam ei rem fuisse ex ipso capite laudato perspicitur. Nec illud concilium Gregorio ignotum fuisse verisimile est, quod Chlodovechus Aureliae anno 511 congregavit; cujus canones etiam nunc supersunt. At nihil de eo refert.



Huc aliud ex eodem fonte ortum accedit, quod ad Gregorii scribendi genus formandum plurimum valuit. Etenim Gregorius nihil fere hominum prudentia atque perseverantia effici ratus, sed potius aut probitati aut vitiis omnia tribuenda esse arbitratus, quae rerum gestarum causae, quales eventus fuerint nec accuratius perquirendum putat, ubi parum compertum habet, nec lucide exponendum, ubi res explorata ei est. At quod crimen commiserint, quicunque perierint, quae his, quibus bene evenit, merita fuerint, id etiam atque etiam monere gravissimum habet. Ita quum Sigibertum, a Neustriis accitum, Victoriacum accessisse regemque electum, subito vero a sicariis caesum esse referat, non curat quaerendum qui factum sit, ut ejus socii aut occiderentur aut fugarentur, sicarii vero incolumes evaderent.[52]) Eodem modo quis Chilpericum regem interfici jusserit, suo loco non exponit; attamen non solum nobiles, qui Gundovaldum acciverint, a Guntramno suspectos habitos[53]) esse memorat, sed ipsorum alio loco minas[54]) quin Sunnegisili confessionem criminis refert[55]), unde apparet nosse Gregorium sceleris auctores. Simili ratione, etsi multa de civilibus bellis Sigiberti cum Chilperico questus est, tamen eorum inimicitiam ortam esse, quum de regno Chariberti dividendo dissensissent, auctam vero odio Fredegundis in Brunechildem, non exponit; sed e rebus ge-

---

52) Hist. IV. 52.

53) Hist. VIII. 5: „Scio enim quod horum causa germanum meum Chilpericum interfici fecit.“

54) Hist. VII. 14. Guntramnus Boso ad Guntramnum regem ita locutus est: .. „scimus salvam esse securim, quae fratrorum tuorum capitibus est defixa: celerius tuum librabit defixa cerebrum.“

55) Hist. X. 19. „Sunnegisilus .. in tormentis non solum de

stis concludendi tantummodo potestatem nobis praebet. —

Nec vero illud monendum omittit, Sigibertum periisse, quia Germani episcopi praecepta contemptui habuisset[56]); Chilpericum scelerum suorum justam poenam luisse[57]); Rauchingum ducem, Salonium et Sagittarium, episcopos, alios, dei judicio oppressos periisse.[58])

Qua re Gregorius, vinculum, quo revera res gestae continentur, servandi parum studiosus, eum potius, quem ipse aptum habet, quam quem propria rerum natura expostulat, narrandi modum sequitur. Quod quum doctissimus quisque non sine magno periculo suscipiat, Gregorius vero nec ita eruditus fuerit nec scribendi ita peritus; tum illud, quod secundum considerandum nobis proposuimus, nimirum quod maximam Historiae partem aequalis illorum temporum scripserit, summas quominus finem suum assequeretur et narrationes lucide disponeret difficultates praebuit. Nam ubi primum ejus ipsius aetate gesta literis mandavit, jam non rebus inter se apte connectendis quaecunque voluit probare potuit, quippe qui ipse quomodo omnia cohaererent non intellexerit, ne dum jungere ea suo more sciverit; sed singula tantum facta ita enarravit, ut cum cogitationibus suis notionibusque piis consentanea esse viderentur. At ne in hoc quidem perficiendo assiduus erat, quum multis, quae aut et rei publicae salutem aut ad ipsius commodum pertinerent, intentus, consilii primum concepti haud raro oblivisceretur. Nam et quos du-

morte Chilperici regis, verum etiam diversa scelera se admisisse confessus est."

56) Hist. IV. 52. „Quod ille peccatis facientibus audire neglexit." Deinde Sigiberti caedes narratur.

57) Hist. VIII. 5. „Et quis Chilpericum interemit, nisi malitia sua, tuaque (Guntramni) oratio."

58) Rauchingi sceleribus commemoratis (Hist. V. 3) Gregorius addit: „unde non immerito taliter excessit e vita, quod in posterum digesturi sumus." Simili ratione, Salonii et Sagittarii nequitiam detestans (Hist. V. 21), „donec, inquit, irruit ira dei super eos, quod in posterum narraturi sumus."



ces vel comites reges nominaverint, quidve privati egerint plerumque retulit et quibus casibus ipsum fortuna exercuerit commemoravit, atque quae negotia ipse legatus tractaverit. Contra episcoporum auctoritati haud raro male consuluit, si quidem, ira percitus, Felicem inimicum conviciis persecutus est[59]); Cautini scelera retulit[60]); Badegisili flagitia[61]), Bertchramni stupra atque perjuria commemoravit[62]), quae potius tacuisset, si sanctos esse episcopos secum reputavisset. Quae quum ita se habeant, non mirum est, etsi priorum librorum scribendorum ratio aliqua inveniri possit, quam antea exposuimus, reliquos tamen singulas solummodo narrationes exhibere, quae nullo nexus vinculo junctae, vix temporum ordinem salvum retineant.[63]) Neque difficile est intellectu qui factum sit, ut Gregorius mox hoc mox illo cogitationum rerumque quasi impetu ductus, alia omitteret, alia iterum repeteret, nonnulla etiam contraria diceret[64]); praesertim quum non uno tenore libros omnes scripserit, uti supra memoravimus.

59) Cf. supra pag. 28.

60) Vid. supra Cap. II. not. 34.

61) Hist. VIII. 39.

62) Hist. VIII. 7. „Nam quum ad convivium regis Palladius atque Bertchramnus (uterque episcopus) adsciti fuissent, commoti invicem, multa sibi de adulteriis ac fornificatione exprobarunt nonnulla etiam de perjuriis sqq."

63) Quem quidem plerumque Gregorius in rebus exponendis servat: nonnunquam vero ea, quae ad narrationis perspicuitatem pertinent, brevibus repetit, uti Mummoli res gestas narrans (Hist. IV. 42. 43. 45); Andarchii (Hist. IV. 47), Gundovaldi (Hist. IV. 24.) varias sortes exponens. Interdum etiam accidit ut penitus eum turbet, uti in primis libro quarto fecit; nam

| | | | |
|---|---|---|---|
| Hist. IV. 30 | de rebus | anni | 566. |
| 31 | „ | „ | 563 et 571. |
| 38 | „ | „ | 567. |
| 39 | „ | „ | 565. 574. 566. agit. |

65) Plura Gregorium omisisse supra memora vimus (Hermenegildi contra patrem seditionem bis paucis additis narrat (Hist. V. 39.; VI. 43.; cf. et VI. 18.), his similia sunt multa. De his, quae contraria retulit, Cap. III. dicendum est. Cf. et Additamentum.

Qua re in diem quodammodo locutus est commentariosque scripsit, in quibus mox de aula regumque familia quaedam narravit, mox monachi cujusdam sanctitatem admiratus est; tum de procerum superbia, tum de signis ac portentis egit; bella vero et disputationes velut ejusdem momenti descripsit. Quae res, uti minus jucundam lectu, ita difficilem intellectu Gregorii Historiam reddunt, praesertim quum dicendi genere nec erudito nec diserto usus sit. At eo magis investiganda ea est omnique cura perquirenda, quo clarius vera luceant et quo tutius falsa omnia resecentur atque emendentur.

# CAPUT III.

## DE GREGORII TURONENSIS FIDE HISTORICA.

Quum reliqua omnia, quae praeter Historiam opera Gregorius scripsit, nihil fere ad res gestas illustrandas conferant, inprimis nobis Historia ejus Francorum ecclesiastica consideranda est; de ejus Miraculorum libris non nisi quo firmiora de Historia judicia reddamus, ubicunque commodum fuerit, disputandum esse videatur. Atque quo clarius appareat quae fides Gregorio habenda sit, ita instituamus, ut de utraque earum quas distinximus [1]) parte, et de ea qua historiam illorum temporum aequalis narraverit, seorsim dicamus. Qua re jam

### 1. DE LIBRIS I.—III.

disserendum et primum quibus fontibus usus fuerit indagandum, deinde vero num artem criticam his adhibuerit perscrutandum est.

Duo autem eorum quae retulit sunt genera; alia ad ecclesiam celebrandam, alia ad Francorum primos reges nominandos spectant. Atque quae de variis fidei rectae conditionibus et Arvernorum Turonumque episcopis Gregorium narrasse supra memoravimus [2]) magna ex parte ex Eusebio, Hieronymo, et Orosio, deinde ex Sidonio Apollinari hausit. [3]) Sed alia praeterea scripta

[1]) Vide supra Caput II. pag. 39. sqq.
[2]) Vid. supra Cap. II. pag. 39. et pag. 43. sq.
[3]) Vid. Hist. I. prol.: deinde conferas Hist. I. 34.: „Usque hoc tempus (a. 325 p. Ch.) historiographus in Chronicis

usui ei fuisse jam epistola Eugenii episcopi quam reservavit[4]) ostendit, siquidem nullus eorum quos nominavimus auctorum eam exhibet. Inprimis de Arvernorum et Turonum episcopis multa procul dubio, quae perierunt, ei patebant, praesertim quum in Arvernia juvenis, Caesaroduni vir moraretur.[5])

Quae de Francis prima libri secundi parte[6]) tradidit, ex Renato Profuturo Frigerido, Sulpitio Alexandro, Orosio et Fastis consularibus descripsit. De Frigerido et Sulpitio Alexandro nihil nisi quod ex ipso Gregorio colligitur notum est. Uterque Romanorum historiam scripsit, quorum scriptorum nonnulla fragmenta Gregorius reservavit. Frigeridus in duodecimo historiae libro Aëtii virtutes pluribus verbis laudat, ita ut ejus aequalis fuisse videatur. Aliis locis narrat quae annis 409—417 in Gallia gesta sint,[7]) Sulpitium in historia multa de Francis scripsisse Gregorius memorat[8]); libro tertio et quarto historiae bella annis 388—393 a Romanis contra Francos gesta narravit; sed quot libros composuerit et ad quem annum historiam continuaverit nescimus. Orosii et Fastorum

scribit *Eusebius*. A vicesimo primo enim ejus (Constantini) imperii anno *Hieronymus* Presbyter addidit.“ Hist. l. 37 „Hucusque (a. 378) Hieronymus: ab hoc vero tempore Orosius Presbyter plus scripsit.“ Sidonium Apollinarem laudat Hist. ll. 25.

[4]) Hist. ll. 3.

[5]) Vid. Cap. I.; ceterum tum temporis Sanctorum vitas plerumque narratas et in primis eorum miracula momoriae mandata esse, satis ex ipso Gregorio perspicitur, qui saepissime ejusmodi scripta laudat. (Cf. Glor. Martyr. c. 35; Glor. Conf. c. 58; Mirac. Mart. I. 12 all.) Inter celeberrimos erat S. Martinus, de quo plurima noster quoque retulit; nec tamen primus (cf. supra Cap. ll. p. 33.)

[6]) Inprimis Hist. ll. 8 et 9.

[7]) Hist. ll. 8. „Igitur quid de Aëtio.. *Renati Frigeridi* narrat *Historia* tacere nefas putavi. Nam quum in duodecimo Historiarum libro referat“..; cf. Hist. ll. 9.: „*Renatus Profuturus Frigeridus*, cujus jam supra meminimus .. ait.“

[8]) Hist. ll. 9.: „Nam quum multa de eis (Francis) *Sulpitii* Alexandri narret Historia .... Haec in *tertio* Historiae libro narravit. In *quarto* vero libro ait.“ —



non nisi unum utriusque pronuntiatum de Francis a Gregorio descriptum est.[9]) Quae postea Gregorius de Francis Childerico et Chlodovecho regibus inde a capite duodecimo libri secundi, libro tertio vero de Chlodovechi filiis narravit, ex his jam non sumsit.[10]) Qua re, quum alia scripta nulla nominet, etsi alias cum in libris Miraculorum tum in Historia fontium auctores laudare solet; satis inde apparet, Gregorio historiam Francorum, quam sequeretur, nullam usui venisse, atque maxima ex parte audita eum retulisse. Quamquam id quidem non impedit, quominus singula facta adhuc ex scriptis, quae cujusmodi fuerint explorare jam non possumus, eum didicisse, singulasque orationes scriptorum auxilio accuratius reservasse arbitremur. Plura potius sunt, quae ad hanc sententiam ut accedamus permovent. — Primum enim bella, quae Childericus, Francorum rex, Paulus, Romanorum comes, Saxones, Britanni et Gothi gesserunt, eo modo narrat, ut aut ea, quae diversis annis gesta sint, confudisse, aut quae diversi scriptores contraria retulerint, quasi omnia recte cohaererent, conscripsisse videatur.[11]) Nam quid verum sit ex his colligi non potest,

[9]) Hist. ll. 9 fine.

[10]) Nam ubi plura ex iis descripsit, postremo adjecit: „Haec hi de Francis dixere“ (Hist. ll. 9), unde apparet sequentia Gregorium non ex eisdem hausisse.

[11]) Quod quo magis appareat, capita, quae dico, refero. Etenim Hist. ll. 18. Gregorius ita narrat: „Quo defuncto (Aegidio), *Adovacrius* (Saxonum dux) de *Andegavo .. obsides* accepit. *Britanni* de Biturica a *Gothis* expulsi sunt, multis apud Doleusem vicum interemptis. *Paulus* vero Comes *cum Romanis* ac *Francis Gothis* bella intulit et praedas egit. Veniente vero *Adovacrio Andegavis*, *Childericus* rex sequenti die advenit, *interemptoque Paullo* Comite *civitatem obtinuit*.

C. 19. His ita gestis inter *Saxones* atque *Romanos* bellum gestum est, *Saxones* terga vertentes, multos ... gladio reliquerunt. Insulae eorum a *Francis* captae sunt... *Adovacrius* (Saxonum dux) cum *Childerico* foedus iniit, *Alamanosque*, qui partem *Italiae* pervaserant subjugarunt.“ Quae qualia sint ultro apparet; ipse *Frauriel* (l. l. Tom. I.

quum singula tantum certamina horum populorum commemorentur, quorum iidem mox Romanorum hostes mox socii dicantur. Talia vero, jejuna simul atque contraria, nec verbis traduntur nec audita referuntur. Deinde vero orationum vel potius verborum quae illius aetatis homines fecisse Gregorius refert, alia non illorum, sed ipsius Gregorii cum dicendi generi tum notionibus consentanea esse cognoscuntur, alia vero ejusmodi sunt, ut propriis loquentium moribus melius convenire atque lautius reservata esse videantur. Quantum enim interdum, ubi verba a Francorum majoribus dicta refert, ipsi Gregorio tribuendum sit, et ex aliis multis et ex sequentibus colligi potest. Etenim, ubi Chlodovechus, Romanis victis, de praeda urceam a sociis sibi poposcit, Gregorius Germanos dixisse memorat[12]): „Omnia, gloriose rex, quae cernimus tua sunt, sed et nos ipsi tuo sumus dominio subjugati. Nunc quod beneplacitum tibi videtur facito. Nullus enim potestati tuae resistere valet.“ Quae verba Gregorio quidem conveniunt, si quidem is reges a deo constitutos esse putavit, cui soli rationem rerum gestarum redderent[13]); sed quam maxime a Francorum et institutis et moribus abhorrent, uti haec ipsa narratio probat.

pag. 288) alias in enucleandis atque jungendis, quae contraria, intricata ac manca videntur, maxime assiduus haec capita explicari posse negat, nisi quod Paulum comitem filium Britannorum ducis et urbis Andegavae principem fuisse putat. Quae tamen conjectura ad locum illustrandum paulum confert.

12) Hist. II. 27.

13) Quam Gregorius, Gallus atque clericus, regiam potestatem habuerit, satis ex ejus ad Chilpericum regem verbis perspicias, quae sunt: (Hist. V. 19.) „Si quis de nobis, o rex, justitiae tramitem transcendere voluerit, a te corrigi potest. Si tu vero excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris audis; si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronuntiavit justitiam.“ Sed Franci etiam Gregorii aetate augustiorem regiam potestatem habuerunt quam priore saeculo, uti Guntramnus-Boso, ferocissimus homo Guntramno regi ita respondit: „Tu dominus et rex regali in solio resides et nullus tibi ad ea, quae loqueris, ausus es respondere.“ (Hist. VII. 14.)



Nam Francus, quem Gregorius sane levem, invidum ac facilem appellat, ferociter ita respondit: „Nihil hinc accipies, nisi quae sors tibi vera largitur.“ Neque Chlodovechus extemplo injuriam ulcisci ausus est. Contra orationem, quam Chlodovechum, Sigiberto et ejus filio interfectis, ad Ripuarios habuisse refert[14]), non solum longiorem, sed etiam talem exhibet, quae rerum conditioni optime conveniat. Chlodovechus enim ut vir magnae quidem victoriisque confirmatae auctoritatis loquitur, et ducem, quem socii sequantur, Ripuariis se praebet, nec tamen regem divinitus constitutum se gerit. Huc quum accedat, quod hac in oratione nomen Chlodorici, Sigiberti filii, appellatur, atque Chlodovechi parentes hi dicuntur, denique Chlodovechum in Scaldia flumine hoc tempore vexisse memoretur; quas res omnes Gregorius narrando non exhibet: his permoti peculiarem esse causam judicamus, qua factum sit, ut aliis lautior haec oratio nobis reservata sit. Quae causa haud scio an ea fuerit, quod scriptam eam Gregorius invenerit: nisi quis carmina Germanorum proferre malit. Certe aliae praeterea orationes inveniuntur rebus gestis aptiores, quam quae Gregorio tribuantur. Id de Theodorici ad Austrasios, quorum auxilium contra Thuringos petiit[15]), oratione manifestum

14) Hist. II. 40: „Audite quid contigerit. Dum ego per Scaldem fluvium navigarem, Chlodoricus, filius parentis mei, patrem suum insequebatur, verbo ferens, quod ego eum interficere velim. Cumque ille per Bucconiam silvam fugeret, immissis super eum latrunculis, morti tradidit et occidit. Ipse quoque, dum ejus thesauros aperit, a nescio quo percussus interiit. Sed in his ego nequaquam conscius sum. Nec enim possum sanguinem parentum meorum effundere; quod fieri nefas est. Sed quia haec evenerunt, consilium vobis praebeo, si vobis videtur *acceptum*; convertemini ad me, ut sub mea sitis defensione.“

15) Hist. III. 7. (Theodoricus) convocatis igitur Francis dicit ad eos: „Indignamini, quaeso, tam meam injuriam quam interitum parentum vestrorum, ac recolite Thuringos quondam super parentes nostros violenter advenisse, ac multa illis intulisse mala, qui datis obsidibus, pacem cum his inire voluerunt: sed illi obsides ipsos diversis mortibus pereme-

est; nam ne verbo quidem regem se esse, cui libera sit voluntas, Theodoricus monet, verum in micitiam veterem Francorum et Thuringorum horumque injurias memorat; quas Gregorius ne narrat quidem. Sed ut mittamus haec, quae conjici potius quam probari possint, jam ad eam quae restat quaestionem accedamus atque qua ratione Gregorius fontibus usus fuerit investigemus. Etenim duplicem in modum Gregorius faciendum instituit, quum aut verbum de verbo quae videbantur describeret, aut suo more comperta narraret.

Quod si ipsa fontium verba sequitur, satis fecisse sibi videtur, ubi singula pronuntiata, quae ad rem historiamque pertinere existimat, eligit atque collocat; narrationem vero continuam ex his componere non molitur. Sicuti ex Frigerido pronuntiata describit, quae Francorum nomen continent [16]); nec tamen quid inde concludi possit dicit. Ne illud quidem quaerendum curat, utrum jungi possint an ex parte contraria sint. Ut de Francorum primis regibus quaerens, primum, quae in Sulpitio Alexandro invenerit, refert, postea vero, quaecunque praeterea repererit, addit; regum autem genealogias conserere non conatur. Id quod post eum multi sane cum veteres tum recentiores auctores perficiendum susceperunt; sed frustra; nihil aliud enim nisi fabulas aut conjecturas consecuti sunt [17]),

---

runt: et inruentes super parentes nostros omnem substantiam abstulerunt ... (sequentibus crudelitatem Thuringorum describit, deinde addit:) Nunc autem Hermenefridus, quod mihi pollicitus est, fefellit, et omnino haec adimplere dissimulat. Ecce verbum directum habemus; eamus cum Dei adjutorio contra eos."

[16]) Vid. Hist. II. 9.

[17]) Ne vir doctissimus quidem clar. Wenk (hess. Landes-Geschichte Th. II. pag. 135 sqq.), quum nomina regum Francorum in ordinem quendam redigere et qua stirpe orti sint investigare conaretur, effecit, ut contraria enuclearet atque dubia removeret. Cf. *Eichhorn:* Deutsche Staats- und Rechts-Gesch. Th. I. §. 21 pag. 135 sqq. inpr. not. o. *Rospatt:* Kritische Beiträge znr ältesten Geschichte der Franken.



satis his probans manca et ex parte contraria Gregorium de primis regibus retulisse. — Attamen, quum ipse parum certi de regibus tradi, nec nomina eorum commemorari conqueratur [18]), deinde quum eorum, quae singula exhibet, aut fontes nominet aut eorum inscius verba „ferunt," „tradunt" similia eis addat [19]): hanc saltem laudem sibi vindicat, ut laute eum comperta servasse concedamus. Neque tamen hanc ob causam tantum ei tribuendum est, ut in his, quae describeret, seligendis critica ratione usum eum esse judicetur. [20]) Qua re paullo commodior sane haec fontes

---

[18]) Ea enim, quae Sulpitius Alexander de Francis retulit, rescribens Gregorius, quum Sulpitius Marcomerem et Sunnonem regales dixerit, ait: „Cum autem regales eos vocet, nescimus utrum reges fuerint. an vices tenuerint regum." Paullo post Frigeridum laudans addit: „Movet nos haec causa quod cum aliarum gentium reges nominat, cur non nominet et Francorum."

[19]) Quibus verbis additis Gregorius tamen nihil aliud dicit, quam fugere eum narrationis auctorem. Dubiam rem esse his non semper indicat. Nam, ut alia multa praeteream, Riguuthis nuptias, anno 584 celebratas, pluribus narrat, ita ut appareat haud ignarum eorum quae tum acciderunt eum fuisse. (Hist. VI. 45.) Tamen, plures a Chilperico rege in Hispaniam cum Rigunthe proficisci jussos esse memorans, addit: „Nam *ferunt* multos sibi ob hanc amaritudinem vitam laqueo extorsisse;" paullo post, Childebertum legatos tum temporis ad Chilpericum misisse narrans, ait: „De quibus legatis unum *ferunt* clam *interemtum*, sed nescitur a quo." Quibus de rebus Gregorius, quum et Parisiis et in palatio Childeberti multi amici ei essent, procul dubio certior fieri potuit; simili ratione, ubi narrat Ingundem, Brunechildis filiam et Hermenegildi uxorem, ob fidem suam catholicam incommoda multa perpessam esse (Hist. V. 29), „sed ut *asserunt* multi, inquit, nunquam animum suum a fide nostra reflexit." At quum ipse paullo post narret Ingundem adeo maritum suum commovisse, ut fidem catholicam confiteretur, satis declarat, dubiam ei rem non fuisse.

[20]) Ne illud quidem, quod fabulam illam, Francos a Trojanis ortos esse (vid. C. IV. not. 19), silentio praeteriit, criticae rationis indicium esse arbitror. Nam considerantibus nobis Gregorium Hist. II. c. 9. consilio ita instituisse ut omnia, quae de Francorum origine ac primis regibus relata compererit colligeret, (quorum plurima verbis

adhibendi ratio dicenda est; quae tamen eam ob causam concedenda ei est, quod nec scribendi ita peritus erat, nec verborum copia abundabat, si quidem eo haud raro perductus est, ut se ipsum describeret.[21])

Verum enim vero, quoties suis ipsius verbis loquitur, majora adeo sunt, quae et reprehensione dignum Gregorium reddunt, et summis difficultatibus nos implicant. Multa enim sunt, quae aut fontium vitio lapsus falsa retulit aut negligentia corrupit, plura etiam obveniunt, quae opinionum erroribus imbutus minus vera narravit. Ut, sive ipsius negligentia sive fontium vitio factum est, Vandalorum regum ordinem perturbat, si quidem Thrasamundum regem († 523.) Africam transiisse atque hoc mortuo Hunericum regnum obtinuisse contendit. Id quod de Geiserico dicendum erat, ut satis notum est. Deinde, quum post Hunericum Hildericum regem fuisse dicat, Guntamundum († 496) et Thrasamundum omittit.[22])

De Amalasuintha deinde, Theodorici filia, fabulas insulsas conserit, quum Tranguilani, servo, eam nupsisse et matrem veneno necavisse narret, id quod longe a vero abest, ut ex Jornande[23]) et Procopio[24]) cognoscitur. Ne illud quidem verum dicit, Bucellinum Siciliam transiisse, quem in Italia remansisse ac postea a Narsete interfectum esse ex Agathia cognoscimus.[25])

---

„tradunt“ „ferunt“ additis exhibuit), ceterum haud pauca eum retulisse quae nec vera sint nec veri similia; hanc narrationem ignotam ei fuisse ac postea demum inventam verisimillimum videtur, praesertim quum ex ipso Gregorio cognoscatur, Virgilii opera tum temporis in magna auctoritate fuisse.

[21]) Vita patr. VI. §. 6 „Unde ego non parvam censeo gratiam ejus qui hoc meruit“ sqq. eodem modo leguutur Hist IV. 5. Cf. praeterea Hist. III. 2 et Vita Patr. IV. §. 2.; Hist. I. 40. Vit. Patr. II. §. 1.

[22]) Cf. *Papencordt:* Geschichte der vandalischen Herrschaft in Africa pag. 388. sqq.

[23]) Jornand. lib. de rebb. Gothicc. c. 59. cf. Greg. Hist. III. 31.

[24]) Procop. de bell. Gothic. I. c. 3. 4.

[35]) Agath. Histor. lib. I. et II. (Excerpta ap. Bouquet. T. II. pag. 53 sqq.) cf. Greg. Tur. Hist. III. 32.



Opinionum deinde perversitate Gregorium nonnunquam falli jam supra ostendimus, ubi aliter eum ac Francos de regum potestate sensisse memoravimus[26]). Huc alia res accedit, eaque multo gravior, quod Arianos odio nimis acri persequens res non ita ac gestae sunt narrat, sed uti aptissimae ei videntur, quibus nefarios illos esse deoque invisos ante oculos ponat. Uti jam illud odio in Arianos commotus dicere videtur „Gothos terga vertere consuevisse“[27]) et „eorum morem fuisse pavere“[28]). Ne id quidem verum narrat, Gundobaldum, Burgundionum regem, patriam animamque perdidisse[29]); nam is, quoad vixit, regnum tenuit, quod moriens Sigismundo filio reliquit, ut ex ipso Gregorio colligitur[30]). Manifestum vero ejus in Arianos odium est, ubi Eurichum Wisigothorum regem, Arianum eum, crudelissime in catholicos egisse narrat, et hanc ob causam hominem saevum dei ira percussum periisse memorat[31]). Cujus narrationis Sidonium testem nominat, etsi is longe alio modo refert. Nam Sidonius Eurichi virtutem atque alacritatem laudibus effert, quarum ne mentionem quidem Gregorius facit; Sidonius in exilium tantummodo episcopos aliquos missos et in defunctorum locum alios non substitutos esse narrat;

---

[26]) Vid. supra pag. 52 sqq.

[27]) Hist. II. 37. cf. Aschbach: Geschichte der Westgothen, pag. 171 not. 155.

[28]) Hist. II. 27.

[29]) Hist. III. prol. cf. supr. Cap. II. not. 46.

[30]) Hist. III. 5. „Igitur mortuo Gundobado, regnum ejus Sigismundus, ejus filius, obtinuit.“

[31]) Hist. III. 25. „Evarix rex Gothorum gravem in Gallia super christianos intulit persecutionem. Truncabat passim perversitati suae non consentientes, clericos carceribus subigebat. Sacerdotes vero alios dabat exilio alios *gladio trucidabat*. Nam ipsos sacrorum *templorum* aditus *spinis* jusserat obserari. Exstat hodieque et *pro hac causa* ad *Basilium* episcopum nobilis Sidonii ipsius epistola, quae *haec ita* loquitur. Sed persecutor non post multum tempus ultione divina percussus interiit.“ Cf. *Sid. Apoll.* epist. lib. VII. ep. 6 ad Basilium. Cujus epistolae excerpta exhibet. *Mascov.* Geschichte der Deutschen (1726) Tom I. pag. 492 not. 5.

Gregorius plures interfectos esse asserit, aedes vero clausas atque spinis obseratas esse addit.

Qua de re Gregorius in libris I—III scribendis fontibus artem criticam non adhibuit, sed ita plerumque atque expositam invenit, ipse quoque rem retulit, atque nobis, quanti ea facienda sint, perquirendi munus imposuit. Quam ob causam, etsi ea laus in eum conferenda est, quod sola narrandi cupiditate ductus ipse fabulas non conseruerit; tamen accidit, ut fontium vitio lapsus falsa narraret, interdum etiam suae aetatis opinionibus imbutus, et de regum Francorum potestate minus recte sentiret et de haereticis odio incensus diceret.

## 2. DE LIBRIS IX—X.

Ubi de priorum librorum fontibus diximus, et qua ratione Gregorius iis usus fuerit exposuimus, restat ut quae fides alteri Historiae parti, qua quidem aequalis res gestas retulit, habenda sit accuratius perquiramus. Qua de re quo tutius dijudicari possit, primum quae res gestas cognoscendi potestas ei fuerit videamus, deinde quam vim opiniones ejus piae ad eas exponendas habuerint, denique quousque partium studio ductus id, quod justum atque verum est, neglexerit. At ut de his, quaecunque acciderunt, certior fieret, duae res magno ei usui erant; et familiae amplitudo nobilitasque, et episcopi muneris dignitas. Cognatos enim plures summae auctoritatis, amicos vero plurimos Gregorio fuisse jam supra memoravimus[32]). Quorum hoc loco nomino: Gallum patruum; Nicetium episcopum Lugdunensem, et Gundulfum Childeberti ducem[33]), matris avunculos; Eufronium episcopum Turonensem; Nicetium sororis maritum; Aredium abbatem, sibi amicissimum[34]), Radegundem reginam[35]), Fortunatum poe-

[32]) Vid. Cap. I. pag. 9 sqq.

[33]) Vid. Hist. VI. 11.

[34]) Is puer in palatio Theudeberti regis educatus erat; post in Trevirorum civitate morabatur; mortuus est anno 591. (Hist. X. 29.)

[35]) Ea Bertharii, Thuringorum principis, filia erat; capta vero



tam, Gregorium Magnum papam, alios. Huc accedit, quod ipse multa itinera fecit totamque fere Galliam novit; uti juvenis in Arvernia erat; Garumnam flumen visit[36]); Caesaroduni episcopus morabatur; Lutetiam-Parisiorum saepe, Confluentes et in Burgundiam plus quam semel profectus est[37]). Deinde, quum multa ipse cum Chilperico ageret, Guntramnus vero et Childebertus reges in rebus publicis tractandis saepius ejus consilio usi essent, sicuti supra narravimus[38]), magnam eorum, quae in Gallia acciderunt, partem ipse cognoscere, de ceteris vero per hos ipsos, qui egerunt, plerumque certior fieri potuit. Quae vero in Hispania gesta sunt, ea Gregorius ex legatis, qui frequenter inter Wisigothorum atque Francorum reges commearunt et per Caesarodunum Turonum plerumque iter fecerunt, cognoscendi facultatem habuit[39]). Deinde

a Chlotachario I. et in Galliam ducta Caesaroduni morabatur, Gregorio nostro inprimis amica. (Hist. IX. 2.)

[36]) Glor. Conf. c. 46.

[37]) Cf. Cap. I. pag. 10 et 15 not. 40.

[38]) Cf. Cap. I. pag. 15.

[39]) Sicuti et Leovigildi ad Francos legati Caesarodunum venerunt (Hist. V. 44. a. 580; Hist VI. 40. a. 584) et Chilperici ad Leovigildum legati ex Hispania reversi de rebus ibidem gestis certiorem eum fecerunt, (Hist. VI. 18. a. 583) Qui eo ipso tempore in Hispania morabautur, quo Hermenegildus contra patrem bella gessit. „Nam et legatis haec causa (Hermenegildi seditio) innexuit moras, ut tardius regrederentur. Quibus visis ego sollicitus eram, qualis in ipsis Christianis, qui pauci in eo loco remanserant, fides Christi ferveret.“ Quam ob causam omni jure *Aschbach* ubi de Hermenegildo disputavit, Gregorii auctoritatem plurimi fecit. (Geschichte der Westgothen pag. 208. not. 63.) Alias vir doctissimus minus recte Gregorium vituperasse videtur. Ut eum castigat, quod Athanagildum fidem catholicam confessum esse retulerit (l. l. pag. 196 not. 30) quum nihil ejusmodi in Gregorii Historia inveniatur. (Cf. Hist. IV. 8. 38 (32.) De Leovigildo quidem haec Gregorius narrat (Hist. VIII. 46) additis tamen verbis „ut quidam asserunt;“ qua re, quum ipse Aschbach talia a Reccaredo aut inventa aut vulgata esse non neget, Gregorius, quod hujus *famae* mentionem fecerit, non reprehendendus est. (Cf. Aschbach l. l. p. 216 sq. et 222.)

quum Childeberto multa cum Longobardis et Graecorum imperatoribus negotia essent, et Gregorius, Chilperico mortuo (584), saepe regem adiret, haud difficile ei erat, quid in Italia inprimis inde ab anno 584 acciderit, explorare[40]. De his, quae in Germania, proprie ita nominata, gesta sunt, pauca tantum nec ea satis lucida Gregorius commemorat, cujus rei haud scio an ea causa sit, quod Chlotacharius I. et Sigibertus quidem in dextera Rheni ripa bella multa gesserint (antequam Gregorius episcopus factus est 573), nec tamen, Gregorio vivente, Childebertus, qui in Italia vires consumsit.

Quibus ex omnibus quum appareat inter multos Gregorium fuisse aptissimum, qui historiam scriberet, eo cautius videndum est, num ex eo, ut arbitro sapientissimo atque teste gravissimo, certam et de reipublicae conditione et de virorum, qui egerunt, moribus et de ipsis rebus gestis cognitionem percipere possimus.

---

[40]) Huc accedit, quod frequenter inter Romam urbem et Galliam legati commearunt, ut ex epistolis Gregorii Magni ad Brunechildem aliosque Galliae viros insignes cognoscimus. Ipse quoque noster Gregorii papae amicus erat, et diaconum anno 590. Romam misit (Hist. X. 1.). Nec illud praetereundum videtur, Paulum Diaconum in Historia Longobardorum, etsi Secundi practerea Historiam noverit, verbum de verbo plerumque Gregorium descripsisse, ubi de Francorum cum Longobardis bellis retulerit. Qui quum in Historiae lib. III. c. 8. cur Secundus rem a Gregorio narratam silentio praeterierit, miratus sit, his innuere videtur, alias Secundum eadem fere ac Gregorium narrasse. Ita enim Paulus dicit: (Hist. Long. III. 28.) „Mirandum sane est, cur Secundus, qui aliqua de Longobardorum gestis scripsit, hanc tantam eorum victoriam praeterierit, cum haec, quae praemisimus de Francorum interitu, in eorum Historia hisdem ipsis paene verbis exarata legantur."

Ceterum conferas Pauli Histor. Longobard. cum Gr. Hist.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Lib. III. c. | 3 | et | 4: | IV. 42. |
| III. „ | 7 | „ | „ | IV. 43. |
| III „ | 8 | „ | „ | IV. 45. |
| III. „ | 17 | „ | „ | VI. 42. |
| III. „ | 27 | „ | 28. | IX. 16. 25. |
| III. „ | 30 | „ | „ | X. 3. |



Etenim de reipublicae conditione ac statu quaerentibus nobis id non praetereundum videtur, quod Gregorius ita scribendum instituit, ut quam plurima facinora literis mandaret, sicuti supra memoravimus[41]. Huc quum accedat, quod tum temporis in Gallia, quae quidem continuis fere bellis civilibus turbata erat, plura quam pace fieri solent scelera perpetrabantur, Gregorius vero quid pacis tempore actum sit commemorare plerumque omisit[42]; cavendum nobis est, ne ejus narrationibus commoti jure gravius de Francis hujus aetatis judicemus. Ita nonnunquam factum est ut Franci omnes nefarii ac fere immanes haberentur, quibus diripere atque caedere acceptum fuerit, reges autem viri nullius auctoritatis et vigoris dicerentur, qui scelera nec prohibere nec punire potuerint. At immerito; primum enim in capitulariis, quae quidem non regis solius voluntate et jussu constituebantur, sed nobilium consilio et populi consensu ferebantur, acerrimae criminum poenae constitutae sunt[43], ita ut populi voluntas satis inde appareat; deinde vero regum jam ea dignitas atque potestas erat, ut vel pugnas Francorum singulas,

---

[41]) Vid Cap. II. pag. 44.

[42]) De Chariberto, qui pacem cum fratribus habuit, nihil fere Gregorius refert. nisi quod in episcopos, qui canonum potius quam regum praecepta obsequi vellent, graviter vindicasset (Hist. IV. 26.) Ne illud quidem commemorat, Chilpericum leges tulisse, id quod et Fortunatus docet (Carm. lib. IX. carm. 1. Bouquet II. pag. 522.)

„Belliger hinc radias, legifer inde micas."

et ex edicto ejus nuper edito colligitur. (Monum. Germ. hist. T. IV. pag. 10 sq.)

[43]) Cf. Childeberti Decretio a 596. (Monum. Germ. hist. Tom. III. p. 10.) c. 5. „De homicidiis vero ita jussimus observare, ut quicunque ausu temerario *alium sine causa occiderit*, *vitae periculum feriatur*. Nam *non* de pretio redemptionis se *redimat* aut *componat* . . . . . quia justum est, ut qui novit *occidere discat moriri*. c. 7. De furis ac malefactoribus ita decrevimus observare ut . . . . quomodo sine lege inviolaverit sine lege *moriatur*. Si quis judex comprehensum latronem convictus fuerit relaxasse, *vitam suam amittat*."

quae faidae dicuntur, prohibere[44]) atque vectigalia adeo iis imponere conarentur[45]). Quanta vero, dum bella civilia omnia perturbant, perpetrari possint, id saepe cum alii populi tum Germani experti sunt; neque vero inde aliquid certi de eorum moribus concludi potest. Quamquam id quidem illuc magis spectat, ut cautionem adhibeamus, ubi ex Gregorii dictis nova colligere conamur, quam ut ipsorum dictorum fides dubia reddatur. Quam duae res imminuunt, cum ejus notiones nimii erga ecclesiam ardoris, tum partium studium.

Quod opiniones attinet Gregorius, quum res secundas atque adversas Sanctorum, qui vel scelera punirent vel precibus piis commoti auxilium ferrent, voluntate atque arbitrio regi existimaret, nonnisi piis prospera evenire atque nefarios tantum opprimi posse existimavit. Quamobrem, etsi saepe nullo negotio factum est, ut qui perierint scelesti dicerentur sicut Chramnus[46]), qui patri bellum intulit, ut Rauchingus[47]), Guntramnus-Boso[48]) alii; tamen haud raro alio modo ac Gregorius fortasse sperabat res evenerunt ac paene ut invitus amicos vel probos jure acrius reprehenderet,

---

[44]) Cf. Hist. X. 27. Fredegundis enim viros tres interfici jussit, qui, quum inimicitiam vel faidam sibi indicassent, pacem inire noluerint. Insaniae vero hoc erat non solum crudelitatis, nisi hac ratione reprimi posse Francorum ferocitatem putavisset.

[45]) Cf. Hist. III. 36. „Franci vero, quum Parthenium in odio magno haberent, pro eo quod *eis tributa* ante dicti (Theudeberti) regis tempore inflixisset“ . . . Cf. Hist. VII. 15.

[46]) Hist. IV. 20. „Ibique Chlotacharius rex tanquam novus David contra Absalonem filium pugnaturus plangens atque dicens: Respice Domine de coelo et judica causam meam, quia injuste a filio injurias patior.“ Chramnus autem victus atque interfectus est.

[47]) Hist. IX. 9 ubi Rauchingum interfectum esse narrat: „Erat autem, inquit, levis in moribus ultra humanum genus cupiditati ac facultatibus inhians alienis.“ sqq.

[48]) Hist. IX. 10 de Guntramno, quem occisum esse refert, ita dixit: „Fuit autem hic in actu levis, avaritiae inhians, rerum alienarum ultra modum cupidus, omnibus jurans, et nulli promissa adimplens.“



scelestos vero laudaret coegerunt, qua re appareret, adversa improbis tantum prospera piis evenire. Ita jam grave ejus de Hermenegildo judicium[49]) miramur, quum is eam potissimum ob causam patris in odium venerit atque ut armis postremo se defenderet commotus sit, quod fidem catholicam confessus sit. Offendit autem ejus de Merovecho judicium, quem quidem quo tempore Historiam scripsit castigavit, etsi ei, dum vixerit, favisse videtur[50]). Neque enim quod Brunechildem in matrimonium duxerit, nec quod clericorum ordinem reliquerit[51]) eum vituperat, neque ut arma impia deponat hortatur; verum epulas laetus cum eo celebrat, atque de his quae futura sint jocans colloquitur[52]), denique Praetextatum, Merovechi amicum, defendit, ita ut Merovechi interitu demum commotus gravius de eo judicasse videatur. Atque quo clarius appareat ipsi rerum conditioni atque eventui Gregorii

---

[49]) Hist. VI. 43: „Nesciens miser (Hermenegildus) *judicium sibi imminere divinum*, qui contra genitorem (Leovigildum) quamlibet haereticum talia cogitaret.“

[50]) Cf. Mannert: Geschichte der Deutschen, besonders der Franken. Tom. I. pag. 188. Ceterum in Merovechum cadere illud Salomonis Gregorius judicavit (Hist. IV. 14.):

„Oculum, qui adversus adspexerit patrem, effodiant eum corvi de convallibus.“

[51]) Id quod alias Gregorius atrocissimum crimen existimat. Cf. Hist. IV. 4. „Macliavus (Brittannorum Comes) tonsuratus et episcopus ordinatus est. Mortuo autem Chanaone (fratre, qui regno eum expulerat) hic apostavit et . . uxorem, quam post clericatum reliquerat cum regno ... simul accepit. Sed ab episcopis *excommunicatus* est; cui qualis fuerit *interitus*, sequenter scribemus.“ Merovecho tamen ipse Gregorius coenam sacram ministravit. Hist. V. 14. Cf. supra Cap. I. not. 77.

[52]) Hist. V. 14. Etenim Boso quum mulieris cujusdam auguratione confisus speraret fore ut Chilpericus periret, Merovechus regno potiretur atque ipse ducatum totius regni acciperet; Gregorius ejus stultitiam quidem ridebat, quoniam „a deo haec poscenda sunt; non credi debent quae diabolus repromittit,“ sed quod talia cogitare auderet eum non vituperavit; imo ipse sacrorum scriptorum auxilio quid futurum sit quaesivit.

sententiam haud raro tribuendam esse, alia nonnulla eorum quae plurima nos offendunt afferamus. Etenim Gallo Arverniae episcopo mortuo Cato, vir summae virtutis atque constantiae, a clericis populoque episcopus electus est[53]); quo facto reliqui episcopi qui aderant, ut Austrasios nobiles, quorum, Theodobaldo rege puero, summa potestas erat, donis precibusque amicos sibi redderet, ne hi alium episcopum constituerent, suaserunt et ipsi pecuniam, si qua opus esset, ei obtulerunt[54]). Sed Cato, ut canonum statuta, quae totam per vitam sequutus sit, in episcopi quoque dignitate petenda servaret, eorum consilium quam maxime contempsit[55]). Qua re quum factum sit, ut Cautinus archidiaconus, callidior quam honestior, episcopi dignitatem nobilium auxilio Catoni praeriperet, Catonis vanitatem fortunae adversae causam Gregorius multis vituperat[56]), Cautinum vero a clericis populoque libenter exceptum esse asserit. Tamen paullo post de eodem Cautino dicit: „talem eum se reddidisse, ut ab omnibus exsecraretur," narratque eo hominem sceleratum habendi cupiditate perductum esse, ut presbyterem viventem sepulcro includeret[57]). Numquid Arverni talem ho-

53) Hist. IV. 6: Videmus quia te elegit maxima pars populorum cf. Hist. IV. 7: „Igitur cum consensu clericorum ad episcopatum electus."

54) Hist. IV 6.: Cum proceribus et primis regni Theodobaldi regis agemus ne tibi ulla excitetur injuria; nos quoque . . etiam si damni aliquid supervenerit, de nostris propriis facultatibus id reddituros."

55) Ibidem: „Nam ego *canonice* assumpturus sum hunc honorem."

56) Ibidem: „Haec audientes episcopi et in eum *vanam gloriam* exsecrantes;" *ibidem antea:* „at ille cothurno *vanae conflatus gloriae.*" Cf. IV. 11. . . Sed tamen alias de Catone dixit; „Hic autem presbyter multae humanitatis et satis dilector pauperum fuit et credo haec causa ei si quid superbiae habuit medicamentum fuit." Vid. Hist. IV 31, quo ipso capite narrat, Cautinum, quum pestis Arverniam graviter affligeret, fugisse, Catonem vero remansisse et ab ipso morbo, quum officia sacra obiret, oppressum esse.

57) Vid. Hist. IV. 12.



minem „libenter excipere" potuerunt. — Quamquam Gregorium ne offendit quidem, quod St. Martinus Guntramno Bosoni, viro scelesto, auxilium, ejus precibus commotus, tulerit[58]). Sed vicit; qua re propitium Sanctum haberet oportebat. Quid? quod Chlodovechi sceleribus, quibus ille regnum quidem et potestatem mirum quantum auxerat, modo expositis, haec verba addit: „Prosternebat enim quotidie Deus hostes ejus sub manus ipsius et augebat regnum ejus, eo quod ambularet recto corde coram eo et faceret, quae placita erant in oculis ejus." Deinde plura ejusdem flagitia narrat[59]); sed tamen non ea Gregorii erat ferocitas, qui scelera laudanda putaret, verum cavendum esse existimavit, ne quis homini nefario prospera evenire posse arbitraretur; quam ob rem felicissimum quemque probissimum esse demonstrandum sibi proposuit.

Hunc igitur in modum Gregorius de hominum moribus judicat; jam num ecclesiae celebrandae causa res gestas paullo aliter atque evenerint narraverit videamus. Difficilis sane quaestio est, quoniam Gregorii dicta cum aliorum narrationibus comparari nequeant. At illud saltem offendit, Gregorio, ubi miracula narraverit vel contra Arianos dixerit, nonnunquam accidisse, ut fieri posse contenderet, quae inepta nobis qui-

58) Quod judicium Gregorius de Bosone, ubi ejus mortem narraverit, fecerit, supra exhibuimus (Vid. not. 48.) contra ubi Draccolenum ab eo victum esse narrat, id invocato nomine Dei et virtute magna beati Martini eum perfecisse dicit, atque Sanctum tanquam excusans, quod hujus preces exaudiverit, „Guntramnus," inquit, „*alias* sane *bonus*; nam ad perjuria nimium praeparatus erat." Perjurum enim eum fuisse tacere non potuit.

59) Cf. Hist. II. 40 et 41. Quod si nonnulli viri docti hujus de Chlodovecho sententiae eam causam esse putaverunt, quod is fidem catholicam confessus sit et ecclesiae auctoritatem auxerit, id quidem non sufficit, quum Gregorius satis severe de Hermenegildo judicaret; neque satis appareret, cur hoc ipso loco, sceleribus modo narratis, talia dixerit. Cf. Kortüm: Geschichte des Mittelalters I. p. 63. Spuria haec verba esse, uti Ludenio (l. l. pag. 662 sq.) videtur, codicum auctoritatem respiciens minime existumo

dem videntur[60]); ut ea quae ipse viderat aucta atque ornata referret[61]); interdum etiam ut facta esse narraret, quae accidere non posse manifestnm est[62]). Quod considerantes jam dubitamus, quin alias in rebus gestis exponendis religiosior cautiorque semper fuerit; imo miramur quid sit, quod res similes, quae ad ecclesiae sive, ut putabat, dei gloriam augendam conferrent, occasione oblata repetierit. Ut Chlotacharii I. contra Saxones bella narrans, ter hos pacem petiisse, deinde vero dei auxilio vicisse Francos superbia elatos[63]) memorat, atque simili ratione a Suavis, quum quater frustra pacis conditiones aequissimas obtulissent, tandem Saxones praepotentes profligatos esse narrat, ut appareat invisam deo superbiam esse[64]).

Sed haec quidem ita gesta esse possunt. Id gravius est, quod imitandi studio ductus augurationem literis mandavit, quam eo modo, quo Gregorius retulit, auguratam non esse manifestum est. Etenim ubi Chlodomeres, bella contra Burgundiones gesturus, eorum regem, Sigibertum, captivum suum, interficiendi consilium cepit, hac re comperta Avitus, abbas Miciacensis, ne tale scelus committeret, sed deum, injuriarum ultorem, extimesceret, cohortatus est[65]). Chlodomeres

---

60) Gregorius Amalasuintham, Arianam, veneno calice sacro infuso matrem ne cavisse narrat, deinde „Quid contra haec inquit, „miseri haeretici respondebunt, ut in Sancta eorum locum habeat inimicus. Nos vero Trinitatem . . . confitentes, etiamsi *mortiferum* bibamus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti . . *nihil nos nocebit.*“

61) Matrem ejus reliquiorum auxilio ignem exstinxisse, ipsum nubes fugasse narrat. Glor. Conf. c. 81.

62) Oleum in ampulla ipsius sigillo munita crevisse narrat Mir. Mart. II. 32. Ibidem esse nonnullos memorat, qui talia non credant. Cf. et Glor. Mart. c. 14. (vid. supr. pag. 32.)

63) Hist. IV. 42.

64) Hist. V. 15: „Sed Domini miseratio, quae justitiam facit, in aliam partem voluntatem eorum retorsit.“

65) Hist. III. 6. Avitus hunc in modum Chlodomerem hortatus est: „Si, respiciens deum, *emendaveris*, ut hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum, et abiens victoriam obtinebis; si vero eos occideris, tu ipse in manus inimicorum traditus, simili sorte peribis.“



vero, ejus minas aspernatus, Sigibertum occidi jussit atque, contra Burgundiones profectus, paullo post proelio interfectus est. Similia accidisse ipsius tempore Gregorius narrat; ubi enim Sigibertus victor Lutetiam Parisiorum ingressus est atque, Neustriae regno imminens, Chilpericum fratrem in Tornaco oppido oppugnari jussit, dum ipse Victoriacum proficisceretur ut rex a Neustriis eligeretur (575): Germanus ei, Gregorio quidem teste, victoriam promisit, si Chilpericum interficere non moliretur; perniciem vero certissimam minatus est, si alia cogitaret[66]). Nec irrita ejus auguratio erat; a sicariis enim Sigibertus, quum monita parvi fecerit, interfectus est (575). Germanum vero talia dixisse, primum eam ob causam veri non est simile, quod Gregorius, ubi Praetextatum defendit (577) atque episcopos cohortatus est, ut eorum perniciem secum reputarent, qui clericorum praecepta contemptui habuerint, Chlodomerem quidem aliosque multos nominavit, neque vero Sigiberti mentionem fecit[67]). At Sigiberti mors recens in omnium memoria erat, quoniam is hoc ipso tempore, quo omnium Francorum regno potiturus erat, subito occubuit[68]). Num Gregorius ejus interitu quam maxime sententiam probandi occasionem praetermisisset, si re vera periisse eum, quod Germano non obedierit, contendere potuisset? Qua tandem causa deinde Sigibertus, qui paullo ante Theodobertum, Chilperici filium, captum dimisit[69]), tam saevus factus est, ut necem fratri pararet? Etiamsi vero, Brunechildis fortasse verbis incensus, talia mente atque animo cogitaret, num ejus imprudentiae eum fuisse arbitremur, qui interfecturum se fratrem esse palam declararet, quum ne captum quidem eum haberet?

---

66) Hist. IV. 52. „Cui Germanus episcopus dixit: „Si abieris et fratrem tuum interficere nolueris vivus et victor redibis: sin autem aliud cogitaveris, morieris. Quod ille peccatis facientibus *audire neglexit.*“ Deinde ejus mors narratur.

67) Vid. Hist. V. 19.

68) Cf. Hist. IV. 52.

69) Hist. IV. 23.

Audaciam autem atque pertinaciam perpetrato scelere probandi Sigibertus ne facultatem quidem habuit, si quidem interfectus est, antequam Turnacum expugnaverat. Numquid Gregorius ejus animum perspectum habuit, ut adhortationem contempsisse ideoque justam eum poenam luisse cognoscere posset? Denique ex epistola, quam hoc ipso anno a Germano ad Brunechildem scriptam tenemus [70]), id jure eum injustissimum facinus censuisse cognoscimus, quod Sigibertus contra fratrem bella gereret, et regno privare eum vellet. Qui igitur factum est, ut Germanus pristinae gravitatis et severitatis oblitus, victoriam quasi justam Sigiberto auguraret, dummodo vitae fratris parceret? Qua re injuste Gregorius Sigiberto, quod fratris necem cogitasset, imputavisse, vel certe ejusmodi orationem Germano tribuisse videtur.

Quid? quod bis accidisse narrat, quod accidere non posse nemo non videt. Nam, ut Arianorum errorem impium et fidei catholicae praestantiam ante omnium conspectum ponat, Arianum episcopum benedicendo obcaecasse aliquem, cui sani erant oculi, et in Africa, Hunerico rege (447—487) [71]) et in Hispania (a. 583), Leovigildo rege, [72]) (569—586) eodem fere modo narrat. Qua re etsi concedimus priorem narrationem Gregorium ab aliis traditam retulisse, tamen, quum ipsius aetate idem accidisse contendat, apparet fidem rectam magis celebrandam quam fidem historicam servandam eum curasse.

Jam eo res adducta est, ut quam justum atque verum Gregorius de amicis et inimicis referens se praebuerit, videamus. Quam ob rem eadem, qua supra usi sumus ratione, primum num justum semper de hominum moribus judicium fecerit, deinde num exposuerit res gestas aeque atque cognitas eas habuerit indagemus. Id vero primo adspectu manifestum est, Gregorium in di-

---

[70]) Apud *Bouquet* l. l. T. IV. pag. 80.
[71]) Hist. II. 3.
[72]) Glor. Conf. 13 et Hist. IX. 15.



judicandis hominibus nec lenem inimicis nec gravem amicis semper fuisse. Etsi enim Chilpericum regem Herodem Neronemque adpellat, omnibus invisum eum fuisse contendit [73]), atque damnatum eum et infernis cruciatibus tortum esse pro certo habet [74]), tamen multa sunt, quae nostram de eo sententiam mitiorem reddant. Chilpericus enim Sigibertum fratrem, ne hos, quos ipse vi coactos in suam potestatem redegisset, ut perfidos puniret, sed ut insontibus parceret, rogavit [75]); Brunechildem inimicam, quam captivam tenuit, liberam dimisit, eique omnia bona, argentum, aurum, alia reddi jussit [76]); praedas agi vetuit, eas jam actas incolis restituit [77]) — id quod nec crudelitatis nec avaritiae esse videatur. Amicos vero ei Pictavos fuisse ipse Gregorius testatur [78]). Ne in clericos quidem infesto semper animo erat; etsi ea de re Gregorius inprimis conquestus est [79]). Nam praeterquam quod filio mortuo largis muneribus ecclesiam ditavit [80]), in ipsum Gregorium temperantia atque clementia usus est [81]), atque simili ratione Charterii Petrocoriensis episcopi injurias ulciscendas neglexit [82]), quam ob rem vix Neronis no-

---

[73]) Cf. Hist. VI. fin.: „Nullum unquam pure dilexit, a nullo dilectus est.“
[74]) Vid. Hist. VIII. 5.
[75]) Hist. IV. 50. „Deprecans ut nullo casu culparentur earum (civitatum) habitatores, quos ille injuste igni ferroque opprimens adquisiverat.“
[76]) Hist. V. 19. cf. infra not. 92.
[77]) Hist. VI. 31. „Chilpericus rex cum exercitum suum a praeda arcere non posset, Rothomagensem comitem *gladio trucidavit*, et sic Parisius rediit, omnem relinquens praedam *captivosque relaxans*.“
[78]) Hist. IV. 46.
[79]) Hist VI. 46. „Sacerdotes Domini assidue blasphemabat .. nullum plus odio habens quam ecclesias.“
[80]) Hist. V. 35.
[81]) Cf. supr. Cap. I. pag. 14.
[82]) Hist. V. 22. Nonnichius comes episcopum in literis male de rege scripsisse contendit, cujus accusationis testem ejus diaconum adhibuit, qui literas ab Episcopo jussus scripsisset. Sed „Rex misericordia commotus, commendans Deo causam suam, cessit utrisque, deprecans clementer Episcopum

men meruit[83]). Contra Sigibertum Gregorius laudibus effert, benignum atque gloriosissimum eum appellat; quem quidem fortem ac prudentem fuisse, quum et plura bella feliciter gesserit, et reginam potius quam ancillam in matrimonium duxerit, et Guntramnum regem imbellem timidumque non foedere neque pollicitationibus in societatem adsciverit, sed armis metuque subditum sibi reddiderit, vix quisquam negabit. Similia tamen in eum atque in Chilpericum cadere manifestum est. Arelatem enim urbem Guntramno, pacem studiosissime servanti, eripere conatus est[84]); clericis uti libuit imperavit[85]); neque adulatoribus severus erat, siquidem ipse Gregorius Charegisilum, hominem nequam, multa adulatione apud eum valuisse testatur[86]). Jam si Fredegario fides esset, perfidus atque perjurus dicendus esset; qua de re tamen, quum is falso rem exposuisse videatur, infra disputabimus, ubi de Fredegario pluribus dicendum est[87]). Simili modo de Childeberto II., Sigiberti filio, cui quam maxime favet, haec Guntramni verba refert: „Est enim vir sapiens atque utilis, ut de multorum annorum aevo vix ita cautus homo reperiri possit ac strenuus.“[88]). Attamen hunc nullius virtutis nec fortitudinis fuisse, Sunnegiseli, comitis stabuli, et Septiminiae, filiorum nutricis, conjuratio probat, qui Brunechilde interfecta, id

pro Diacono et supplicans pro se Sacerdos oraret.“ Cf. et Hist. VI. 36.

83) Atrociora adeo Gregorius in eum conquestus est: „Jam de libidine atque luxuria non potest reperiri in cogitatione quod non perpetrasset in opere; novaque semper ad laedendum populum ingenia perquirebat.“

84) Hist. IV. 30.

85) Neglectis concilii Parisiensis et precibus et praeceptis Promotum episcopum Dunensem institui jussit (cf. supra Cap. II. not. 51.)

86) Hist. IV. 52. „Fuit autem Charegisilus ille tam levis opere quam gravis cupiditate; de *minimis* consurgens magnus per *adulationes* cum rege effectus est; competitor rerum alienarum, testamentorum effractor sqq.“

87) Vid. infr. Cap. IV.

88) Hist. VII. 33.



impetraturos se esse sperabant, ut Childebertus, Faleuba regina amota, aliam duceret, atque hac ratione penitus ipsorum voluntati obnoxius fieret. Attamen Childebertus jam juvenis viginti fere annorum erat[89]), quam ob rem ignavum ac tardi animi eum fuisse satis inde apparet. Eundem perfidum fuisse inde perspicias, quod Magnoaldum et Rauchingum duces, quos suspectos habuit, insidiis circumventos et inopinatos interfici jussit[90]).

Neque vero injustam solum de hominibus sententiam Gregorius saepe habet, sed ne in rebus gestis quidem exponendis, si quo partium studio flagrat, eam quae historiae scriptorem decet fidem semper servat. Quod quum ex his in primis, quae Praetextati defendendi causa refert, luce clarius appareat, rem breviter exponere haud alienum arbitrati sumus. Etenim ubi Chilpericus, Sigiberto per sicarios praeter omnium exspectationem interfecto, ex desperatis jam rebus prosperrimas nactus est, Brunechildem quoque, quae Sigibertum secuta Lutetiam venerat, cepit atque ipsam simul cum pecuniis multis Praetextato custodiendam tradidit. Is tamen, quum Merovecho eam matrimonio copularet, magnopere regem fefellit, atque, ubi Merovechus bellum adeo patri intulit, ipsum esse seditionis et auctorem et fautorem suspicionem movit. Qua re proditionis eum rex apud episcopos, Lutetiam convocatos (577), accusavit, atque tres potissimum ob causas eum petiit[91]): primum quod Merovechum et Bru-

89) De hac conjuratione a. 589. facta cf. Hist. IX. 38. Childebertum vero viginti fere annorum fuisse, inde colligas, quod anno 575 „lustrum expleverat“ (Hist. V. 1.)

90) Hist. VIII. 36., IX. 9.

91) Quibus de omnibus conferas Hist. V. 2. 3. 14. et inprimis Hist. V. 19. ubi Chilpericus rex his verbis Praetextatum allocutus est: „Quid tibi visum est, o episcope, ut inimicum meum Merovechum, qui filius esse debuerat, cum amita sua id est patrui sui uxore conjungeres? An ignarus eras, quae pro hac causa Canonum statuta sanxissent? Etiam non hic solum excessisse probaris, sed etiam cum illo (homine scilicet, qui testis aderat) egisti datis muneribus, ut ego interfi-

nechildem, patrui ejus uxorem, contra canonum statuta regisque praecepta junxerit, id quod Praetextatum fecisse satis constabat; deinde quod Brunechildis pecunias, quas ei reddere jussus sit[92]) corrumpendi causa Francis distribuerit; cujus rei Praetextatus eam excusationem, vanam videlicet inanemque, praetendit, quod ipse a Francis dona acceperit, quibus remunerari deberet; Brunechildis vero sive Merovechi bona se sua ipsius habuisse dixit quod Merovechi baptismi testis fuerit[93]). Tertium crimen idque atrocissimum Praetextato objiciebatur, quod sacramenta in Merovechi nomine exegerit; quod quidem jure se fecisse Praetextatus contendit, quum Merovechi sponsor baptismalis esset[94]). Nihilomiuus Gregorius, his, quas nugas Praetextatus protulit et quas refellere superfluum sane est, expositis, hunc in modum pergit: „Videns autem rex Chilpericus quod eum his calumniis superare nequiret, adtonitus valde, a conscientia confusus discessit a nobis, vocavitque quosdam de adulatoribus suis et

cerer. Hostem autem filium patri fecisti, seduxisti pecunia plebem, ut nullus mecum fidem habitam custodiret, voluistique regnum meum in manum alterius tradi.“

92) *Ibidem*; „Tu autem dixisti mihi (Praetextato) o rex, ejice haec (Brunechildis pecunias) a te, ut revertantur ad mulierem res suae, ne inimicitia inter me et Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare.“ Neque vero omnia reddidit.

93) *Ibidem:* „quia munera eorum acceperam (Praetextatus) ideoque quum non haberem de praesenti quod darem hinc praesumsi (sc. de Brunechildis pecuniis) et eis vicissitudinem munerum tribui. Proprium mihi esse videbatur, quod filio meo Merovecho erat, quem de lavacro regenerationis excepi.“

94) *Ibidem:* „advenerunt falsi (?) testes, qui ostendebant species aliquas, dicentes: Haec et haec nobis dedisti, ut Merovecho fidem promittere deberemus...(rex ait) „Si munera pro muneribus *his hominibus* es largitus, cur *sacramenta* postulasti, ut fidem Merovecho servarent? (Praetextatus respondit:) *Petii* fateor amicitias eorum haberi cum eo et non solum *hominem* sed si fas fuisset *angelum* de coelo evocassem, qui esset adjutor ejus..., filius enim mihi erat spiritualis ex lavacro.



ait: Victum me verbis episcopi fateor et vera esse quae dicit scio.“

Quae verba profecto, quum ridicula ac prorsus insulsa Praetextatum praetendisse nemo non videat, et ex ipsius Gregorii dictis convictum criminis illum fuisse luce clarius appareat[95]), ficta a Gregorio esse manifestum est. Sed aliud addit nec verius illud, Chilpericum dolo veniam impetrandi spe, Praetextatum commovisse, ut crimen confiteretur regisque clementiam imploraret. At etsi mittamus, vix aliquem reperiri tam ignavum stultumque, ne dicam dementem, qui crimen atrocissimum confiteatur, quum nullum commiserit neque ullum neganti periculum sit, quid Praetextato, quum crimina manifesta essent neque ridiculas esse ipsius excusationes fugere eum posset; — quid ei restabat, nisi ut regis misericordiam imploraret veniamque peteret? Profecto nec confessione amplius, ut Praetextati culpa intelligeretur, nec insidiis opus erat, quae ad clementiam sibi poscendam eum commoverent. Tertium insuper perperam Gregorius retulisse videtur, pecunias a Fredegunde sibi oblatas esse, ne amplius Praetextatum defenderet[96]). Nam ut justas is poenas solveret, re tam aperta, corruptione non opus erat; si injustas petere animus fuisset, Chilpericus Francorum populo morem gesisset, qui tanto in Praetextatum odio exacerbatus erat, ut lapidibus adeo eum obruere vellet.[97])

Quae quum ita sint, Gregorium non nisi Chilperici odio et Praetextatum a crimine liberandi cupiditate ductum talia narrasse satis manifestum est. Qua de re alia quoque multa Gregorii dicta, etsi penitus refelli propter fontium penuriam non possunt, tamen, ubi odio incensum eum videmus aliaque accedunt, quae

95) Sontem Praetextatum jam Fredegarius dicit (cf. Cap. IV. not. 17.)

96) Hist. V. 19.... „ducentas argenti promittunt libras, si Praetextatus me impugnante opprimeretur.“

97) Ibid. initio: „infremuit multitudo Francorum voluitque ostia basilicae rumpere, quasi ut extractum sacerdotem lapidibus urgeret. Sed *rex prohibuit* fieri.“

veri non similia ea reddunt, dubia saltem dici debent. Id quod in ea praecipue cadit, quae nefanda de Fredegunde narrat, quam odio acerrimo prosequitur, deo hominibusque invisam dicit. [98]) Quam ob rem, etsi nostrum non est Fredegundem vel accusare vel defendere, nonnulla tamen commemoremus, quae Gregorius immerito ei tribuisse videtur.

Ita legatos eam anno 587 ad Guntramnum misisse narrat, qui, quum alia praetenderent, eo consilio venissent, ut Guntramnum interficerent [99]). At si nunquam Fredegundis impelli potuit, ut odio Guntramnum persequeretur, ejusque mortem exoptaret; si unquam ejus interficiendi potestas ei erat, tum eo profecto tempore fuit, quo Guntramnus, Chilperico modo caeso, Lutetiam profectus, urbes a Chilperico occupatas in suam potestatem redegit [100]); Praetextatum, Fredegundis inimicum, in episcopi munus restituit [101]); ipsam ad villam Rothojalensem abire jussit [102]) atque Neustriae regno, uti Chlotacharii tutor, imminebat. At etsi tum quoque temporis Guntramnum a sicariis saepius petitum esse Gregorius memorat [103]), Fredegundem tamen sceleris participem non dicit, sed nobiles potius Neustriae accusat, qui, quum bonis et beneficiis injuste occupatis privarentur [104]), acerbissima contra

---

[98]) Hist. IX. 20....„inimicam Dei et hominum Fredegundem."

[99]) Hist. VIII. 44. Guntramnus, ubi dimissis legatis Fredegundis ecclesiam intravit, hominem conspexit armatum, ebrietate et sopore oppressum. Qui comprehensus ac tormentis traditus, a legatis se missum esse, qui regem interficeret, confessus est. Qua re Gregorius „manifestissime, inquit, patuit, sub hoc dolo a Fredegunde fuisse directos legatos, ut regem interficerent." Deinde legatos quidem negavisse crimen, neque vero Fredegundem fide jussores invenisse, quibus eos defenderet memorat. (Hist. IX. 13.)

[100]) Hist. VII. 12. 13.

[101]) Hist. VII. 16,

[102]) Hist. VII. 9.

[103]) Hist. VII. 18. VIII. 11.

[104]) Hist. VII. 7. „Guntramnus rex omnia, quae fideles regis Chilperici non recte diversis abstulerant, justitia intercedente restituit."



Guntramnum ira flagrarunt. Neque consciam Fredegundem consilii fuisse veri est simile, quippe quae non solum prudentia majora effecerit, quam quae insidiis assecuta esset, verum etiam Guntramni mortem extimescere potius quam expetere deberet. In Guntramno enim omnis Fredegundi spes posita erat exitium quod Brunechildis saeva atque Austrasiorum exercitus praesens minabantur, vitandi [105]). Qua re primum, ut Guntramnum amicum atque defensorem sibi redderet, omnem operam dedit; quod ubi effecerat [106]) summa cura atque calliditate, ne Neustriae regno is potiretur, providit. Chlotacharium enim filium nobilibus educandum tradidit, ne in Guntramni potestatem veniret, qua ratione et hunc de regni spe dejecit [107]), et suae ipsius potestati in posterum consuluit, ita ut nihil fere reliquum esset, quod Guntramni morte consequi praeterea posset. Jam tum temporis, quo legatos ad Guntramnum misit (587), quid efficere voluit eo interficiendo? Urbes, quas ille Neustriis ademerat, Childeberto jam tradiderat (585), quam ob rem non ejus morte recuperari poterant [108]); potentia autem ejus Fredegundi jam non importuna erat [109]); at eodem

---

[105]) Hist. VII. 5. „Cumque ille (Guntramnus) infra muros (Lutetiae) susceptus fuisset, Childebertus..ab alia advenit parte." Ibidem c. 7....„legati .. Childeberti . . veniunt Fredegundem requirentes atque dicentes: redde homicidam, quae amitam meam suggilavit, quae patrem interfecit et patruum" sqq. Cf. cap. 14.

[106]) Hist. VII. 7. „Nam Fredegundem patrocinio suo fovebat.... promittens se ei fieri maximum defensorem.

[107]) Guntramnus saepius Neustriis imperare voluit, uti ex Histor. VIII. 18. perspicitur: „Guntramnus vero rex volens regnum nepotis sui Chlotacharii .. regere Theodulfum Andegavis comitem esse decrevit." Is tamen interfectus est. Cf. VIII. 42. Neque vero Neustrii ejus imperium tolerarunt, uti Neustrii Guntramno, qui de caede Praetextati quaestionem instituere voluit ita responderunt „Nam non potest fieri, ut, si quis inter nos culpabilis invenitur, in conspectum vestri regis deducatur, quum nos possimus nostrorum facinora regali sanctione comprimere." (Hist. VIII. 31 )

[108]) Cf. Hist. VII. 33.

Brunechildis in eam odio flagrabat; major vero, Caesaroduno Pictavo aliis oppidis recuperatis, huic potentia erat, quam Guntramno interfecto Fredegundis adeo auxisset, siquidem Childebertus Guntramni haeres institutus erat (585). Qua re tum quoque temporis Guntramni mors periculosa Fredegundis erat, amicitia vero eam insuper ob causam petenda, quod magni ejus intererat, quod Guntramnus Chlotacharium nepotem ac regem agnosceret[110]; id quod postea demum fecit (591)[111]. Qua re non Fredegundis Guntramno metuenda erat, quam amicam habere perseveravit[112], sed nobiles potius cavere debebat, quorum insidiis Chilpericus interceptus, Gundovaldus accitus erat; id quod et ipse Guntramnus intellexit nec illi negarunt[113]. Deinde Brunechildem magis quam Fredegundem suspectam habuit[114]. Illud verius fortasse Gregorius

[109]) Quippe quia ejus jussa negligere potuit (cf. not. 107.)

[110]) Quanti Fredegundis fecerit, quod Guntramnus Chlotacharium nepotem suum agnosceret, inde perspicias, quod ejus suspicionem jurejurando amovere necessarium duxit. Hist. VIII. 9.

[111]) Hist. X. 28.

[112]) Etsi Gregorius refert Guntramnum haec de Fredegunde dixisse: . . „ibi amicitias ligare non possum, de qua saepius processerunt, qui mihi vitam praesentem aufferrent, atque" inimicam dei hominumque eam adpellasse (Hist. IX. 20) tamen haec potius, ut Brunechildem mitigaret, quam qui crederet dixisse videtur. Nam et Gregorius hoc ipso loco conquestus est ita: „Utinam tu, o rex gloriosissime, minus cum ea caritatem haberes. Nam ut saepe cognovimus dignius ejus legationem quam nostram excipis et ipse Guntramnus benevolentem Fredegundi porro se probavit; sicuti dixit „num quid demens sum, ut non possim temperare inter eas (Fredegundem et Brunechildem) ne scandalum propagetur." Hist. IX. 20. cf. et X. 28.

[113]) Guntramnus ajebat: „Scio quod horum causa germanum meum Chilpericum interfici fecit" nobiles dicens, qui simul cum Theodoro Gundovaldum exceperant et auxilium ei tulerant, (Hist. VIII. 5. cf. et VII. 6.). Quorum unus et ferocissimus, Boso, Guntramnum regem irridens exclamavit; „Scimus salvam esse securim quae fratrum tuorum capitibus est defixa celerius tuum librabit defixa cerebrum."

[114]) Hist. VIII 4. „Verum quia Brunechildis me (Guntramnum) minatur interimere." Cf. Hist. VII. 33. 34. IX. 32.



narravit, Fredegundem Brunechildi atque Childeberto insidias parasse, quamquam mira sane narrationi addit: sicarios eam misisse, cultris veneno infectis armatos, et potu mala arte comparato, quo hausto firmi animi essent, eos exstruxisse, atque cohortatam esse ne mortem extimescerent, quippe quae hominibus omnibus subeunda esset[115].

Quae quum ita sint magna profecto in Gregorio legendo cautio adhibenda est, quem et opinionibus interdum ita obcaecatum et partium studio eo ductum esse videmus, ut res gestas adeo aliter ac accidisse sciret narraverit. Illud igitur primum semper quaerendum est atque omni cura indagandum, qua causa commotus aut hominem laudaverit aut rem exposuerit, inde vero concludendum, quae fides ejus verbis debeatur. Qua in re magno nobis usui est, quod non idem semper Gregorio in narrando propositum est; sed mox huc mox illuc intentus in diem quodammodo loquitur, ita ut nos tantummodo collatis, quae alia aliis locis dicit, proprius plerumque ad veritatem accedere possimus. Ita Gregorii verbis, ubi Theudebertum regem laudibus effert, minorem fidem tribuimus, propterea quod eodem loco ecclesias ab illo beneficiis magnis affectas esse narrat[116]; atque revera Gregorius alio loco, ubi Nicetii Trevirensis episcopi, qui deum magis quam homines extimuerit, fortitudinem celebrandam instituit, eundem multa inique egisse et hanc ob causam a Nicetio graviter vituperatum esse narrat[117]. Alia res

[115]) Hist. VIII. 29. „nec sit trepidatio mortis in pectore. Noveritis enim quod cunctos homines haec causa continet." sqq.

[116]) Hist. III. 25. At ille (Theudebertus) . . „magnum se atque in *omni bonitate praecipuum* reddidit. Erat enim regnum cum *jutitia* regens, sacerdotes venerans et multa beneficia pia ac dulcissima accommodans voluntate. *Omne tributum* quod fisco suo ab ecclesiis in Arverno sitis reddebatur clementer *indulsit*."

[117]) Vita Patrum c. 17. §. 2. „Nam Theudebertus . . (quum) *multa inique* exerceret et ab eodem (Nicetio) plerumque corriperetur, quod vel *ipse perpetraret* vel *perpetrantes non argueret*."

commodo saepe nobis est, quod Gregorius, scribendi non ita peritus, id quod sentit, polite atque apte eloqui non potest, atque hoc modo eum refutandi potestatem nonnunquam nobis facit. Quod cum ex iis appareat, quae Praetextati defendendi causa refert, tum ex sequentibus colligi potest. Etenim ubi Theodorum, quem ipsum Guntramnus rex proditionis accusavit et in vincula conjici jussit, laudat et insontem eum esse asserit, sententiam suam confirmaturus narrat: mulierem, quam non bene sanam appellat, Theodorum quidem exsecrasse, id ipsum autem, quod laudare eum non posset, doluisse[118]).

Quae minora nonnulla Gregorius, sive verborum imperitia atque inopia sive negligentia lapsus vitia commisit[119]), jam omittenda esse arbitror, quum satis probatum esse videatur: Gregorium, et muneris dignitate insignem et familiae nobilitate atque amplitudine clarum rerum gestarum peritissimum quidem plerumque fuisse, sed tamen non solum opiniones ejus notionesque, quandoquidem deum jam hac in terra hominibus pro merito bona malaque reddere crederet atque ecclesiam sacerdotesque sacrosanctos haberet, verum etiam partium studium magnam vim habuisse, cum in

---

[118]) Etenim, quum Magnericus episcopus pro Sheodoro, Massiliensi episcopo oraret, mulier „quam spiritus erroris agitabat," exclamavit: „O sceleste et inveterate dierum, qui pro *inimico nostro* Theodoro orationem fundis ad Dominum! Ecce nos quotidie quaerimus qualiter ab his Galliis extrudatur, qui nos quotidianis incendiis conflat... Et ajebat: Vae nobis, qui eum non possumus expugnare." Et licet daemoniis credi non debeat, tamen *qualis esset Sacerdos*, de quo haec daemon *condolens* declamabat, adparuit." Vid. Hist. VIII. 12. Ceterum de Theodoro conf. Hist. VI. 24.

[119]) Sicuti Hist. V. 2. fine: Chilpericum Suessonias intrasse dicit, cum ex cap. 3. eum ibidem non adfuisse appareat; simili modo Hist. IV. 28. Chilpericum a fratribus regno privatum esse narrat, quum falsum id esse manifestum sit. Sed ejus opprimendi consilium illi fortasse ceperant.



dijudicandis hominibus tum in rebus gestis exponendis. Quae quidem incommoda, quum nec callidum Gregoris ingenium nec scribendi magna peritia esset, verum res diversae vel etiam contrariae huc illuc eum ferrent, cura atque diligentia tolli plerumque possunt.

# CAPUT IV.

## DE GREGORII EPISCOPI TURONENSIS HISTORIA FRANCORUM EPITOMATA PER FREDEGARIUM SCHOLASTICUM.*)

Codicem Claramontanum sive Sirmondi plerumque dictum, reservatum habemus, saeculo octavo conscriptum [1]), qui plura chronica ab anonymo quodam

---

*) De Fredegario omnes dixerunt, quicunque de Gregorio Turonensi disputaverunt (vid. Introd. not. 3.; quorum inprimis conferas: *Ruinart.* Praefat. ad Gregorii Opp. V. §. 134. sqq. *Histoire liter. de France* T. III. p. 586. sqq. *Rösler* Chronic. med. aevi cap. X. p. 119. *I. Chr. Fel. Bähr:* Die christlichen Dichter nnd Geschichtschreiber Roms pag. 145. sqq. De ejus historia praeterea quaesiverunt: *René d'Auber de Vertot:* Apologie pour cette partie des ouvrages de Fredegaire, qui concerne l'histoire de France. Mem. de l'academie des Inscr. l. pag. 302. *Franz Palacky:* Jahrbücher des Böhmischen Museums. Bd. 1. Heft IV. pag. 387—413. Cf. et Luden.: Geschichte der Deutschen III. 700. *Pertz:* Geschichte der Merowing. Hausmayer pag. 152. Ejus opera ediderunt summa cura atque opera: *Ruinart.* Gregorii Opp. pag. 541 sqq. *Bouquet:* Recueil des Histor. de la France T. II. pag. 391. sqq. Novam editionem exspectare licet in Monum. Germaniae histor.

[1]) De quo inprimis conferas: *Brequigny:* Observations sur un ancien manuscrit, qui contient un recueil de chroniques, attribué communement à Fredegaire. Mem. de l'Academie des Inscr. Vol. XXXVI. pag. 119.

Quem codicem Ruinartus medio saeculo septimo exaratum esse arbitratur (Praef. §. 143.) has ob causas:



composita continet. Sex autem sunt libri, quorum priores quatuor chronica ex aliorum auctorum scriptis desumta continent [2]); quintus qui Historia Francorum

---

a) Quod catalogus episcoporum Romanorum (vid. not. 2.) usque ad Theodorum († 649.) tantum perductus, sequentium vero ordo *a recentiori* quodam amanuensi adjectus sit, et quod Romanorum imperatorum series usque ad Heraclii tantum mortem († 641.) exhibita sit. Quibus tamen rebus, quum capite 48. Chron. de Slamonis Savorum regis morte († 658 vid. not. 7.) dictum sit, quo tempore tertius post Theodorum episcopus sedem papae obtinuit, nihil probari recte Brequigny monuit. Idem episcoporum cathalogum a Fredegario non compositum sed ex aliorum scriptis ab eo receptum esse, deinde vero ab *eodem* qui *totum codicem* conscripserit amanuensi usque ad annum 787. continuatum esse ex manuscripti conditione concludit. (Brequigny l. l. pag. 123 sqq.) Quam ob rem saeculo octavo demum eum scriptum esse judicat.

b) Deinde Ruinartus ex verbis quibusdam, quae in codice inscripta inveniuntur, conclusit hoc ipso, de quo sermo est, codice monachum, Lucerium nomine, anno 715 usum fuisse(Praef. §. 143) Quae verba quum sint haec, manca videlicet et corrupta: „Invenit Lucerios presbeter monacos ... per ista croneca et per alia croneca ... quod septuaginta anni sunt ... sus quod sextus miliarios d. .. esse explitos conpotavit ipsos annos in upen ... in indictione exsiente tertia d ..... o quarto Dagoberto regnante“ (i. e. a. 715.) Brequigny nihil inde consequi probavit, nisi quod Lucerius Fredegarii *computationibus* hoc anno usus fuerit neque tamen hoc ipso codice. Unde cognoscitur erravisse Ruinartum, qui quum manuscriptum centum fere annis vetustius quam re vera est haberet, Fredegarium quoque auctorem paullo priore quam quo revera scripsit tempore opera composuisse putavit. Ruinartum secutus auctor, qui de Fredegario in Histoire liter. de France III. 586 sqq. scripsit, in eundem errorem incidit.

[2]) Etenim *primum* librum ex Hieronymi Chronico, *secundum* ex opere „cujusdam sapientis“ (fortasse Julii Africani cf. Hist. lit. de France III. 590) *tertium* ex Isidori Chronico, *quartum* ex Idatio excerpsit (vid. Brequigny l. l. pag. 121). Librum sextum antecedunt catalogi sex: a) Imperatorum Romanorum (inde ab Augusto u. a. Alexandrum Severum) b) Regum Judaeorum c) Annorum computatio inde a principio mundi usque ad annum primum Sigiberti, Austrasiorum regis (561) d) Episcoporum Romanorum ordo usque ad Theodorum papam († 649); cujus deinde continuatio ad-

epitomata dicitur, Gregorii Turonensis Historiae libros II — VI excerptos et in nonaginta tria capita distributos continet; sextus Francorum historiam usque ad annum 641 perducit. Qui liber Chronicon Fredegarii Scholastici plerumque appellatur; continet capita nonaginta. Cujus totius operis quis auctor fuerit nescimus; sed Josepho Scaligero et Marquardo Frehero ducibus convenit inter viros doctos, ut Chronici auctor Fredegarius Scholasticus nominetur[3]). Num is antecedentes quoque libros scripserit, dubitarunt nonnulli; at immerito, sicuti et ex codice de quo diximus et ex prologo Chronici cognoscere licet[4]). Sed cu-

jecta est usque ad Adriani I. annum decimum sextum (787) e) Patriarcharum catalogus (Adam — Abraham) f) Catalogus brevissimus judicum ac regum Judaeorum Aegyptiorum regum (Ptolomaeorum sc.) atque Imperatorum Romanorum (u. a. mortem Heraclii † 641.).

3) Hi viri Fredegarii nomen in codicibus inscriptum legi asserunt, quod tamen se invenisse et Ruinartus et quicunque post eum codices inspexerunt negant. Cf. Brequigny l. l. pag. 120.

4) Omnes, quos nominavimus libros, ab eodem auctore scriptos esse codex Claromontanus argumento est, uti Brequigny satis copiose demonstrat. Prologus autem Chronici hunc in modum disserit: „Itaque beati Hieronymi, Ydacii et cujusdam Sapientis seu et Isidori immoque et Gregorii chronicas a mundi origine diligentissime percurrens usque decedente regno Guntramni *his quinque chronicis* hujus libelli nec plurima praetermissa singillatim congruentia stilo inserui. . . . Cum haec ita se habeant necessarium duxi veritatem diligentius insequi et ob id in *prioribus his chronicis*, *quasi quodam futuro opere*, omnium mihi regna et tempora praenotavi. In *praesenti* autem stilo (i. e. Chronico) . . . . „Nihilominus Mannert (l. l. Th. I. pag. 176 et 235), causis nescio quibus commotus, epitomatorem alium atque chronographum Fredegarium esse contendit, et illum Gregorii aequalem appellat. Quod nullo modo concedi potest; nam etsi codicem Claromontanum et Chronici prologum mittimus, tamen epitomator Gregorii aequalis haberi non potest. Obstant enim, ut alia omittamus, verba, quae Basinam ad Childericum dixisse cap. 12 refert: „pluritas autem minorum bestiarum, quae abinvicem detrahentes volutabant, populos *sine timore principum ab invicem* vastandos significat“ . . . quae quidem verba non nisi de Dagoberti († 637) posteris dici potuerunt. Nam antea ipsi



juscunque nominis fuit, Burgundionem eum natum esse jam Valesius et Cointius has ob causas putaverunt[5]). Primum quod multa de Burgundionibus et Longobardis, eorum vicinis, narrat, quae in Gregorio nostro non inveniuntur; quod alia quidem Gregorii Historiae capita, in quibus de viris sanctis et miraculis refert, omittit, quae vero ejusmodi res in Burgundia gestas continent, retinet[6]); denique quod annorum ordinem secundum Burgundionum regum annos numerat, quum Gregorius regum Austrasiae annos computet. Quo anno natus fuerit, quo obierit Fredegarius non constat; sed tamen quum Samonem, Slavorum regem, regnum, quo ille anno 623 potitus est[7]), per 35 annos obtinuisse referat, inde post annum 658 eum scripsisse certum est. Deinde quum ex codice Claromantano perspiciatur, anno 715. Lucerium monachum Fredegarii computationibus usum esse, inde sequitur Fredegarium ante annum 715 scripsisse[8]).

principes bella regni cupiditate ducti gerebant, neque contemptui populo erant. Ceterum eundem esse epitomatorem et chronographum idem cum Francorum tum Burgundionum amor, idem in Brunechildem odium, idem dicendi genus, eadem annos computandi ratio probant. Scilicet eum chronographum dico, qui priora tantum nonaginta Chronici capita scripsit; reliqua multo post, alia ab aliis addita esse, jam Ruinartus satis lucide demonstravit. (Praef. §. 142. sqq.).

4) Vid. *Valesii* Rer. Francicc. T. II. pag. 445. sqq. et *Car. Cointii.* Annall. eccles. T. II. pag. 265 sqq. inprimis 266. Ruin. praef. §. 135.

6) Sicuti narrationem Gregorii de Ecditio, quem is Burgundionibus fame oppressis subvenisse narrat, (Historiar. lib. II. c. 24) repetit (Fredeg. epitom. c. 14.)

7) Fredeg. Chronic. cap. 48: „Anno 40 regni Chlotacharii (623) homo quidam nomine Samo .... in Slavos perrexit .... eum super se eligunt regem, qui triginta quinque annos regnavit feliciter (u. a. 658.)

8) Cf. not. 1. 6. pag. 81. Ceterum vir doctissimus *Palacky* l. l. Fredegarium Pipini, ab Heristal appellati, tempore et quidem post proelium Textricense (687) demum scripsisse verisimillimum putat. Cujus sententiae accedens, rem brevibus referam.

Quæ quum ita sint, nobis de libro quinto vel de Historia Francorum epitomata dicendum est; qui liber iisdem plerumque, quibus Gregorius usus est, verbis sed quam brevissime fieri potest, res in Gallia inde a bello, quod Aëtius contra Attilam gessit usque ad mortem Chilperici regis († 584) gestas exponit[9]. Nonnulla adduntur, plura, quippe quæ ad historiam non pertineant, omittuntur. — Atque quo clarius appareat, quid Fredegarii Historia epitomata ad Gregorii historiam vel emendandam vel illustrandam conferat, primum num aliis præter Gregorium fontibus scriptis usus fuerit indagandum, deinde vero qua ratione ex his historiam composuerit exponendum esse videatur.

Etenim Fredegarium non Gregorii tantum Historiam brevibus descripsisse sed alia præterea scripta

---

a) Etenim primum ex Fredegarii verbis .... „temporum gesta quae .... legendo simul et audiendo aut etiam *videndo* .... certificatus cognovi ... scribere non silui." Fredegarium *ea, quae* in Chronici parte nobis *reservata*) retulerit (usque ad ann. 641.), vidisse concludi non debet. *Periisse* enim Chronici aliquam partem aut non perfecisse Fredegarium opus propositum ex ejus capite octogesimo primo perspicitur, quo capite Constantem Romanorum imperatorem (642. 688.) a Saracenis victum esse, eique tributum impositum esse narrat atque plura se narraturum esse promittit his verbis; „Tandem resumptis viribus ... tributa Saracenis implenda refutat. Quemadmodum hoc factum fuisset eventum anno in quo expletum est ordine debito referam." Id quod in his quidem, quae restant, capitibus non relatum invenitur.

b) Deinde cap. 76., ubi de pacto anno 633 inter Austrasios et Neustrios inito refert, haec addit „quod postea temporibus Sigiberti et Chlodovechi († 656) regum, conservatum fuisse constat." Quibus verbis, quum non dicat nostris temporibus, posteriorem se Chlodovecho esse demonstrat. Huc accedit quod

c) Fredegarius Pipinis valde favet, qui post Pipini I. mortem († 639) paullum repressi, anno 687 demum omnium Francorum simul et Burgundionum principatu potiti sunt. Quare quum Fredegarius Burgundio sit, ante hunc annum eum a Pipinorum partibus stetisse non est verisimile.

[9]) Quae res in Gregorii Hist. libr. II.—VI narrantur.



novisse, ex iis colligi potest, quae vera addidit. Sicuti de Bucellini rebus in Italia gestis commemorans, ejus exercitum „profluvio ventris adtritum esse" addit[10]: quod ita esse ex Agathia discimus[11]). Paulo post Gogonem Sigiberti ducem Brunechildem ex Hispania in Austrasiam adduxisse refert[12]), quod Fortunatus poeta affirmat his verbis:[13])

Nuper ab Hispanis per multa pericula terris
Egregio regi gaudia summa vehis.

Simili ratione, ubi omnes Chilperici socii ad Sigibertum transiisse narrat[14]), addit: „Ansoaldus tantum cum Chilperico remansit." Quod etsi ab alio nullo confirmatur, tamen veri non est dissimile, siquidem Ansoaldus postea Chilperico carissimus erat. Jam de Longobardis plura narrat, quæ ex Gregorio non hausta sunt, a Paulo tamen Diacono affirmantur. Uti Longobardos, ex Scandinavia ortos, in Italiam vero a Narsete accitos esse refert[15]) et paulo post eos Alboino occiso regem nomine Clip elegisse narrat[16]). Sed hæc sufficiant; satis enim inde apparet, aliis præter Gregorium fontibus Fredegarium usum esse. Hi tamen cujusmodi fuerint nescimus.

Qua re restat, ut quomodo Fredegarius fontibus et inprimis Gregorio usus sit perquiratur. Atque nonnunquam, ubi is non vere retulisse aut minus lucide narrasse ei videtur, in Gregorio emendando operam collocat. Ita Prætextatum commisisse crimen proditionis, cuius accusatus erat, contendit[17]); deinde alio loco, ubi de Chlodomeris regis cæde narrat; illu-

---

[10]) Fredeg. Epit. c. 50. cf. Greg. Hist. III. 32. IV. 9.
[11]) Agathias Lib. II. (apud Bouquet. T. II. p. 63.)
[12]) Fred. Epit. c. 57. cf. Greg. Hist. IV. 27.
[13]) Fortunat. carm. VII. 1. ad Gogonem (Bouquet II. 512.)
[14]) Epit. c. 71. cf. Greg. Hist. IV. 52.
[15]) Epit. c. 65.
[16]) Epit. c. 67.
[17]) Epit. c. 78. „Chilpericus Praetextatum ... in exilium trudit, reputans ei, quod consilio Brunechildis usus contra Chilpericum tractarit, quod veritate subsistebat." Cf. supra Cap. III. pag. 71. sqq.

strare Gregorium conatur. Etenim Gregorius Chlodomerem contra Burgundiones proficiscentem a Theodorico fratre auxilium petiisse narrat, haec addens: „ille autem injuriam soceri sui (Sigiberti Burgundionum regis, quem Chlodomeres interfecerat) vindicare nolens (al. volens) ire promisit.“ Deinde Gregorius Chlodomerem hostes fugientes acriter insequentem a Burgundionibus nonnullis, qui Francos se esse simulaverint, interceptum esse commemorat. Fredegarius vero, qui fortasse „volens“ legit, ita narrat: „Chlodomeres capite truncatur, deceptus ab auxiliis Theuderici, qui filiam Sigismundi habebat uxorem.“ Quo perspicitur Fredegarium eos, quorum insidiis Chlodomeres interceptus est, Francos a Theodorico missos habuisse[18]). Quantum vero plerumque Fredegarius in Gregorio emendando profecerit, jam inde colligas, quod de Francorum origine ac primis regibus quærens fabulas potius et mirabilia sectatur, quam quod verum sit investigandum curat. Nam Francos a Trojanis ortos esse narrat[19]); de Chilperici ad Bisinum, Thuringorum regem, fuga[20]), et de Chlodovechi atque Chrotechildis nuptiis plura, sed fabulosa ea, narrat[21]). Quamquam hæc non ipse invenit, sed tradita refert, siquidem Anonymus, qui Gesta Francorum scripsit neque vero Fredegarii opera novit, similia narrat[22]).

[18]) Epit. c. 36. cf. Greg. Hist. III. 6.

[19]) Epit c. 2. Nuper quidem vir doctissimus *Türk* (Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte Heft 3. pag. 2 sqq.) hanc Fredegarii narrationem, quam et Gesta Francorum, Aimoinus, Chronicon Moissiacense, Sigibertus Gemblacensis alii retulerunt, defendere conatus est; attamen viros doctos, ut ei assentirent, commovere non potuit, si quidem *Eichhorn* (Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte Tom. I. §. 21. c.) ejus narrationis ne mentionem quidem fecit. Ceterum omnia quae ad dijudicandum conferunt loca collecta ac lucide disposita invenias: *Rospatt:* Kritische Beiträge zur ältesten Geschichte der Franken. inprimis pag. 11.sqq.

[20]) Epitom. c. 11. et 12.

[21]) Epitom. c. 18. et 19. Quid hae et de Childerico et de Chlodovecho narrationes dicant quidque ad historiam illustrandam, conferant, enucleandum sibi proposuit *Frauriel:* l. l. T. 1. pag. 274. sq. 280 sqq. T. II. pag 493 sqq.



Sed eruditone non magna sane instructum eum fuisse cum ex scribendi genere nimis barbaro et parum polito, tum inde concludi potest, quod Schatanaviam inter Danubium et Oceanum esse dicit[23]); quod Saxones, qui cum Alboino profecti erant, a Theudeberto († 548) missos esse refert, qui rex nec Saxonibus imperavit et eo tempore, quo Alboinus Italiam aggressus est (568), jam mortuus erat[24]). Neque vero accurate Fredegarium aliorum dicta referre ex his cognoscitur, quod duo bella, quorum alterum anno 531 alterum anno 542 a Childeberto contra Wisigothos gestum esse Gregorius narrat[25]), commiscet[26]; quod Marcum referendarium a Lemovicinis interfectum esse asserit, quem horum iram evasisse (a. 580) et postea demum (583) diem obiisse Gregorius refert[27]). Quin etiam ubi verbum de verbo paene Gregorium descripsit, ejus dicta sæpe corrupit, uti ex sequentibus apparebit:

Ita enim legitur in

| Gregorii | Fredegarii |
|---|---|
| *Hist. V.* 39. sed Ingundis. | *Epit. c. 82.* Sedegunde. |
| *Hist. II.* 9. militaris rei cura Francis satellitibus tradita: civilia quoque officia transgressa in conjurationem Arbogastis, nullusque ex omnibus sacramentis militiae obstrictis reperiebatur, qui principis . . jussis . . . obsequi auderet. | *Epit c. 4.* militaris rei cura Francis satellitibus tradita; civilia quoque officia transgressi, in conjurationem Arbogastis sacramentis obstricti sunt. |
| *Ibid. antea.* Heraclio *Jovinianorum* tribuno ac paene omnibus qui militibus praeerant exstinctis, paucis effugium tutum nox et latibula silvarum praestitere. | *Epit c. 3.* tantae strages . . . factae sunt ut Heraclius et *Jovianus* de eodem proelio *vix potuissent evadere.* |

[22]) Auctor, qui Gesta Francorum scripsit, omnia quae annis 584—593 asciderunt, omisit, quare Fredegarium, qui multa his annis gesta retulit, non novisse videtur.

Quod vero Fredegarius Chlodovechum, Alarico occiso, „regnum ejus a mare Tyrrheno Ligere fluvio et montibus Pyrenaeis usque Oceanum mare“ occupavisse narrat[28]), haud scio an ad Francos celebrandos dixerit. Contra, quum Sigibertum a Brunechilde sollicitatum esse referat, qui Gogonem majorem-domus interficeret, odio ductum se simul et negligentem probat. Nam Gogonem, Sigiberto mortuo, Childeberti tutorem fuisse atque anno 581. demum obiisse (nec tamen occisum esse) ex Gregorio comperimus[29]). Ne id quidem Fredegarius vere dicit, majorem-domus eum fuisse, siquidem post eum Wandelinus tutor Childeberti nominatus est, quem mortuum nullus alius subsecutus est[30]). At Flaocatum majorem-domus Austriae post ea nominatum invenimus[31]), qua de re nec Wandelinus nec Gogo major-domus erat.

Quod si jam ex his, quae modo posuimus, satis apparere videatur: Fredegarium, quamquam nonnulla memoratu digna literis mandaverit, tamen non nisi maxima cura atque cautione adhibita testem proferri debere, quippe qui fabularum cupiditate, negligentia atque odio ductus scripserit; tum ex ejus Historiae epitomatae capite septuagesimo primo, quantum interdum a vero aberraverit, manifesto perspicitur. Qua de re non ingratum fore arbitror, si hoc breviter exponam. Etenim

---

23) Epit. c. 65.
24) Epit. c. 68.
25) Greg. Hist. III. 10 et 29.
26) Epit. c. 42.
27) Epit. c. 80. cf. Greg. Hist. V. 29. VI. 28.
28) Epit. c. 25.
29) Epit. c. 59. cf. Greg. Hist. V. 47. VI. 1
30) Greg. Hist. VIII. 22. „Hoc tempore et Wandelinus nutritor regis obiit; sed in locum ejus *nullus* subrogatus est, eo quod Regina mater curam velit propriam habere de filio.“
31) Greg. Hist. IX. 30. Qua re, etsi assentio Ludenio (l. l. III. pag. 730.) nullam Fredegario in rebus gestis exponendis fidem esse, dissentio tamen ex eodem, quae majoris domus potestas Gregorii aetati fuerit, disci posse. Fredegarius enim eandem potestatem, qua ipsius aetate gaudebat, fuisse judicat et regis tutorem cum majore domus confundit.



ubi Guntramnus, Sigibertus et Chilpericus apud Trecas oppidum pacem fecerunt (574), Sigibertus, ut quidem Gregorius narrat[32]), in Austrasiam reversus exercitum ex Germania proprie ita dicta convocatum dimisit. Quibus compertis Chilpericus, novarum rerum cupidus, iterum foedus cum Guntramno contra Sigibertum iniit et in Campania castra posuit. Sed quum Sigibertus magno cum Germanorum iterum convocatorum exercitu eum peteret, Chilpericus, a Guntramno destitutus, Turnacum aufugit summumque in discrimen venit, donec Sigiberti mors animum ac salutem ei redderet. Fredegarius vero pace firmata Sigibertum ab Austrasiis coactum in Chilpericum, qui exercitum dimiserit[33]), subito arma perfida tulisse atque ita insidiis fratrem oppressisse tradit. Plura quidem sunt, quae Fredegarii narrationi aliquam veritatis speciem praebent. Nam

1) Gregorium Sigiberto favere, Chilperico vero infestum esse nemo est qui nesciat.

2) Fredegarius nec Chilperico amicus est[34]) et hoc in capite plura commemorat, quae ex Gregorio non hausit, ita ut alios fontes usui ei venisse appareat. Sigibertum enim ante pacem initam in Arciaca vico, Chilpericum in Duodecim-pontibus castra posuisse, pacem ipsam in ecclesia S. Lupi factam esse narrat; quae omnia Gregorius non commemorat.

3) Deinde quum, Gregorio teste, Chilpericus exercitum in Campaniam duxerit, miramur quod nec proelium commiserit nec cum Theudeberto filio, qui Caesarodunum Turonum profectus est, castra jungere conatus sit, sed statim, velut desperatis jam rebus, Turnacum aufugerit.

---

32) Greg. Hist. IV. 50 sqq.
33) Epit.c. 71. „Austrasii ... adversus Sigibertum rumorem levant, dicentes: Sicuti promisisti nobis da nobis, ubi rebus ditemur aut proeliamur, alioquin ad patriam non revertimur . . . protinus moventes inruunt super Chilpericum: *jam ejus exercitus ad propria festinans longe aberat.*
34) Epit. c. 93. „Et sic (Chilpericus) crudelissimam vitam digna morte finivit.“

4) Tum Germanus episcopus in epistola, quam ad Brunechildem scripsit, hanc esse causam et velut facem hujus belli innuit[35]). Quomodo in hanc sententiam adduci potuit, si Chilpericum foedus pacemque laesisse sciebat?

5) Ne illud quidem praetereundum est, Gregorium ipsum referre, valde molestam Germanis pacem fuisse. Num hi, praedas agendi spe semel dejecti, anno post iterum commoveri potuerunt, qui Sigibertum sequerentur?

Contra autem monendum atque his Gregorius defendendus est:

1) Fredegario non magnam deberi auctoritatem satis constat.

2) Gregorius vero de his quae in Campania annis 574 — 575 acciderunt, quum tum temporis Caesaroduni oppidi episcopus esset, procul dubio certior fieri potuit; consilio autem eum falsa retulisse eas ob causas veri non est simile, quod paullo post atrociora adeo de Sigiberto conquestus est: Chilperici mortem eum expetiisse atque Germani episcopi praecepta neglexisse; deinde quod tam apertis verbis de Guntramni et Chilperici foedere dixit et diserte post annum iterum Germanos a Sigiberto convocatos esse retulit[36]). At qui mentiri in animum inducat, dubiam potius rem relinquit nec singula quaeque enarrat.

3) Germani autem epistola rem non conficit. Alia est enim res hostem a finibus arcere, alia fugientem persequi regnoque fratrem privare. Praeterea populi

---

[35]) Epist. German. ad Brunechildem (*Ruinart:* Gregorii Opp. pag. 1343 sqq. *Bouquet.* l. l. T. IV. pag. 80. sqq.
„Vulgi verba iterantes quae nos maxime terrent ... quasi *vestro voto*, consilio et *instigatione* . . Sigibertus rex tam ardue hanc velit perdere regionem.“

[36]) Hist. IV. 51. „Nam *post annum* iterum Chilpericus ad Guntramnum legatos mittit dicens: Veniat frater mecum et videamus nos et pacificati persequamur Sigibertum . . . Quod quum fuisset factum seque vidissent . . commoto Chilpericus exercitu usque ad Rhemis accessit . . . Quod audiens Sigibertus iterum convocatis gentibus illis.“



tantummodo sermones se referre dixit, qui miseris plerumque favent, victoribus obtrectant.

4) Quod autem Germanorum ferocitatem libidinemque effrenatam attinet, ita Gregorius rem exponit, ut dubitari vix possit, quin vera referat. Praedas enim Sigiberto invito eos egisse atque ipsam eorum seditionem hunc nonnisi magna prudentia animoque forti repressisse memorat, addit etiam in ferocissimos postea Sigibertum graviter vindicasse[37]) Quae profecto tam multa tamque veri similia a Gregorio ficta esse non possunt.

Qua re etsi concedamus non omnia hoc loco satis lucide exposita esse, tamen non est cur Gregorius mendax dicatur. Fredegario vero quae fides habenda sit ultro apparet.

---

[37]) Hist. IV. 50. . . „(rex) furorem gentium, quae de ulteriore Rheni annis parte venerant superare non poterat sed omnia patienter ferebat, *donec redire posset in patriam* . . multos ex eis postea lapidibus obrui praecipiens.“

# ADDITAMENTUM.

## DE LIBRI DECIMI HISTORIAE ECCLESIASTICAE EPILOGO ET DE TEMPORE, QUO GREGORIUS HISTORIAM SCRIPSERIT, QUAERITUR.

Num libri decimi caput trigesimum primum sive Historiæ epilogus, quo Turonum episcoporum omnium ordo usque ad Gregorium episcopum recensetur, Gregorio tribuendus sit, et quo tempore Historiam Gregorius scripserit, quaestiones vinculo quodam communi continentur. Etenim, ubi epilogum, qualem editiones exhibent, talem a Gregorio scriptum esse comprobatum est, neque de tempore, quo Historiam composuerit, dubitatio ulla restat, siquidem anno vicesimo primo, ex quo Gregorius episcopi dignitatem adeptus erat (573), itaque anno 593—594 eam scriptam esse apertis verbis in eo declaratur [1]). Contra simulatque apparet ipsa morte Gregorium, quominus librum decimum perficeret, prohibitum esse, jam quid sit quod epilogum adjecerit aliquo modo dubitamus. Qua de re ita instituamus, ut primum, num liber decimus perfectus habendus sit, quaeramus, deinde quam firmissimis fieri potest argumentis epilogum non ita, ut in editionibus est, a Gregorio scriptum esse demonstremus, denique quo tempore singulos quosque Historiae libros composuerit, quoad fieri potest, indagemus.

De epilogo autem quod nos quaeramus, quippe quum id ejus sit, qui edenda Gregorii opera susceperit, nec nisi codicibus inspectis de eo dijudicari possit, haud scio an mirum videatur. Attamen quum hac disquisitione, ubi de tempore, quo Historiae libri scripti sint, perquirere animus est, supersedere non possis, deinde vero quum, quae codicum conditio sit, viri doctissimi,

[1]) Hist. lib. X. c. 31. §. 19. „Hos autem libros in anno vicesimo primo ordinationis nostrae perscripsimus."



Ruinart, Bouquet et Pertz, plerumque exposuerint, ita ut horum quoque ratio aliqua haberi possit, quumque huc accedat, quod solis manuscriptis res non conficiatur: omnia quaecunque ad dijudicandam causam conferant, pro viribus nostris exponendi occasionem nobis oblatam, imo officium impositum esse arbitramur. Atque primus de epilogo disputationem contentionemque movit *Cointius*, aliquam certe ejus partem spuriam esse judicans [2]); cujus tamen argumenta quum non magni esse momenti Ruinartus judicaverit [3]), hanc ob rem ex integro omnia perquirenda sunt. Duplex autem est de epilogo quaestio, quum et sint quae totum suspectum reddant, et, si haec minus firma videantur, tamen ejus ultima pars, quae verbis „sicut a nobis relicta sunt" incipit atque locum, de quo inprimis agimus [4]), continet, procul dubio rejicienda sit.

Qua propter jam ad rem ipsam quaestionemque accedamus. Quod si primum quaerimus, utrum perfectus et absolutus sit liber decimus, ita ut epilogum requirat, an quid restet, quod desideretur:

1) Illud considerandum est, libros antecedentes decimo esse longiores, primo et tertio fortasse exceptis [5]), quorum alteri mors Martini episcopi, alteri mors Theudeberti regis justum imposuit finem. Verum enim vero finem scribendi se facturum esse [6]) in primis triginta capitibus Gregorius non indicat, ita ut in his quidem capitibus nihil insit, quod finiri librum requirat.

2) Sunt autem quae desiderantur; nam cur Historiam, quam usque ad annum 591 enarrat, non usque ad Guntramni

[2]) *Carol. Cointii* Annall. ecclesiast. Francc. Tom. II. 424 sqq. ultimam epilogi partem, quae incipit verbis „Quodsi te Sacerdos..." rejiciendam putat. Primum eum movent verba „hos autem libros in anno vicesimo primo ordinationis nostrae perscripsimus," quae revera offendunt. Deinde computationes, quae fine epilogi leguntur, falsas esse contendit, quippe quae ab iis dissentiant, quas primo libro Gregorius exhibet. Eum tamen errorem ex amanuensium vitio fortasse ortum esse neque in Gregorio tantummodo inveniri Ruinartus monuit. (Praef. §. 119.)

[3]) *Ruin. Praef.* §. 119.

[4]) Vide not. 1.

[5]) Etenim si volumen respicis breviores sunt; tamen capitum numero decimum superant.

[6]) Ut libri V. cap. 49. facit, quum liber capita 52 contineat.

mortem (593) perduxerit, quaerimus. Etenim et aliquod tempus Guntramno jam mortuo vixit [7], et quam plurima de regibus narrare atque libros, ubi potest, morte regis cujusdam commemoranda finire solet [8]; epilogus vero (sive caput 31) non nisi Guntramno mortuo additus esse potest [9]; ita ut, si suapte voluntate Gregorium finem scribendi fecisse censemus, cur rem gravissimam, Guntramni scilicet mortem, ne uno quidem verbo commemorarit, enucleare non possimus.

3) Ne ex ipso quidem epilogo, etiamsi a Gregorio eum scriptum esse judicamus, capite trigesimo Gregorium nullum addere voluisse concludere possumus. Neque enim, quum his verbis incipiat: „De episcopis Turonicis licet in prioribus . .", capite trigesimo autem de signis ac portentis agatur, epilogus cum antecedentibus ullo modo cohaeret, ita ut alii capiti cuilibet addi possit, neque Gregorius aut quod Historiae scribendae onus susceptum tandem aliquando deponere possit gaudet, aut quo consilio scripserit, quo animo legi debeant libri, alia ejusmodi, monet, id quod in librorum, quos de Miraculis conscripsit, capitibus ultimis facit [10].

Qua re, quum et liber decimus antecedentibus sit brevior nec Historia usque ad hunc annum enarrata sit, quo primo epilogus scribi potuit, nec ullo modo epilogus cum antecedentibus cohaereat, nihil esse videmus, cur caput trigesimum Historiae ultimum consulto ac libera voluntate a Gregorio constitutum esse existimemus et epilogum exspectemus. Quae res, uti totam de epilogo quaestionem ad hunc ipsum perducit, nec ut aliunde praesidia, quibus defendatur, petantur permittit, ita ipsum Ruinartum movere videtur, ut Gregorium, morbo jam infirmum, libro decimo

---

7) Mirac. Martin. IV. 37. „Tempore autem quo post obitum gloriosissimi regis Guntramni..."
8) Quod in libro secundo, tertio, quarto, sexto, facit: Reliqui longiores erant, quam qui continuarentur; decimum breviorem esse diximus.
9) Praeterquam quod in ultima epilogi parte eum tum, quum vigesimum primum annum Gregorius episcopi munere functus sit, perscriptum esse dicitur (vide not. 1.), antea liber quartus de Mirac. Mart. laudatur (cf. Cap. II. not. 1.) qui liber Guntramno demum mortuo scriptus est (vide not. 7).
10) Excepto libro quarto de Mirac. Martin., quem ipsum non perfectum esse puto (cf. supra p. 34 seq.)



nondum perfecto epilogum addidisse censeat [11]. Nos sive morbo sive ipsa morte sive aliqua re prohibitus est, quominus plura capita vel fortasse librum undecimum adderet, Gregorium imperfectam Historiam reliquisse, vehementer censemus; epilogum vero omnino ab eo scriptum non esse ut statuamus

1) Manuscriptorum conditio permittit, quoniam non solum ad recentiores codices causa omnis perducta est, quum vetustiores aut totum librum decimum aut ejus ultimam partem non exhibeant [12], verum etiam quod in recentioribus nonnullis, qui nec manci nec imperfecti sunt, epilogus requiritur; ut in codice Alexandri, qui integer est, desideratur [13], atque in indice codicis Regii Montis non commemoratur [14].

2) Deinde ut attentius animum advertamus haec, quae fine primae epilogi partis leguntur, commovent verba:

„Conjuro omnes sacerdotes Domini, ut nunquam libros hos abolere faciatis aut rescribi quasi quaedam legentes et quasi quaedam praetermittentes; sed ita omnia vobiscum integra inlibataque permaneant."

Quae verba profecto non tam ipsi Gregorio, qui num dignus quem rescriberent existimaretur, ne sciret quidem, nec qua ratione id fieret divinare posset, quam postero cuidam, qui Gregorii scriptis consulere voluerit, conveniunt; qua in re non est praetereundum vetustissimos quosque codices ita conscriptos esse, ut singula capita saepe omissa sint [15]. Quam ob causam haud alienum erat monere, ne deinceps hunc in modum rescriberentur.

3) Ne illud quidem praetereundem est in epilogo septem

---

11) Ruinart praef. §. 84.
12) Nec in Corbejensi nec in Bellovacensi liber X. legitur. (Ruin. praef. §. 122; idem ad Greg. opera pag. 326. not. c.); in cod. Cameracensi vero libri VI—X. recentioribus quam quibus antecedentes literis conscripti sunt (Bouquet: Scriptt. Gall. Tom. II. praef. pag. 5. sq.) et liber X. inde a capite 16. desideratur (Bouquet l. l. pag. 9.)
13) Ruin. praef. §. 124; ad Greg. oper. pag. 526. not. f.
14) Codex Reg. Mont. etsi, reliquis avulsis, capite 24. lib. X. cujus non nisi particulam aliquam exhibet, desinet, tamen sequentia capita, trigesimo primo sive epilogo excepto, in indice nominat, ita ut epilogus defuisse videatur.
15) *Pertz*: Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde Bd. V. pag. 51. sqq.

libros Miraculorum numerari, Gregorium octo nominare [16]), deinde librum, quem de *Vita* Patrum appellandum esse Gregorius apertis verbis dicit [17]), de *Vitis* Patrum in epilogo inscribi [18]).

Quae quum omnia ut accuratius rem consideremus nos permoveant, tum quam maxime hisce offendimur:

4) Quod in epilogo alius episcoporum ordo exhibetur, quam quem Gregorius docet, quum ille Theodorum et Proculum Licinio mortuo, hic post Leonis mortem episcopos creatos esse contendat, deinde quum in epilogo Jusficianus et Armentius inter episcopos non numerentur, quod Gregorium ita instituisse manifestum sit.

Etenim

| *Gregorius* hoc modo Turonum | *Epilogus* episcoporum ordinem exhibet: | ann. | m. |
|---|---|---|---|
| 1. Gatianus | 1. Gatianus | — | — |
| 2. Litorius | 2. Litorius | — | — |
| 3. Martinus [19]) | 3. Martinus | — | — |
| 4—6. Briccius (Justinianus, Armentius [20]) | 4. Briccius | 47 | |
| 7. Eustochius | 5. Eustochius | 17 | |
| 8. Perpetuus [21]) | 6. Perpetuus | 30 | |
| 9. Volusianus | 7. Volusianus | 7 | 2 |
| 10. Verus | 8. Verus | 11 | |
| 11. Licinius | 9. Licinius | 12 | 2 |
| 12. Definius [22]) | 10. Theodorus et Proculus | 2 | |
| 13. Ommatius | 11. Difinius | | 10 |
| 14. Leo | 12. Ommatius | 4 | 5 |
| 15—16. Theodorus et Proculus | 13. Leo | | 6 |
| 17. Francilio | 14. Francilio | 2 | 6 |
| 18. Injuriosus [23]) | 15. Injuriosus | 16 | 11 |
| 19. Baudinus [24]) | 16. Caudinus | 5 | 10 |
| 20. Guntharius [25]) | 17. Guntharius | 2 | 10 |
| 21. Eufronius | 18. Eufronius | 17 | |
| 22. Gregorius | 19. Gregorius | 21 | |
| | Summa | 198 | 2 |

omissis aliquot diebus et eo tempore, quod inter episcopi uniuscujusque mortem sequentisque consecrationem intercessit.

[16]) Vid. Cap. II. not. 1.
[17]) Vid. Cap. II. not. 13.
[18]) Vid. Cap. II. not. 1.



Qui ordines quomodo inter se differant, sponte apparet, deinde quum hoc praeterea accedat, quod annorum, per quos episcopi sedem tenuerint, numerum alius alium nonnunquam nominet, si quidem

5) Gregorius Theodorum et Proculum per tres annos [26]), epilogus per duos tantum, Gregorius Ommatium per tres annos [27]), epilogus eundem per quatuor annos et sex menses episcopi munere functos esse dicit; denique quum Gregorius inter

| | |
|---|---|
| Martini mortem et Chlodovechi obitum . . . . | 112 ann. |
| inde usque ad mortem Theudeberti . . . . . | 37 — |
| — — — — Sigiberti (575) . . . . | 29 — |
| — usque ad ann. 21 inaugurationis Greg. . . . | 19 — |
| Martini mortem et ann. 21. episc. sui annos | 197 — [28]) |

numeret, epilogus vero plus quam . . . . . 198 — [29])
jam omni jure dubitamus num ipse Gregorius epilogum scripserit. Ruinartus autem, quem magna ex parte haec non fugiunt,

[19]) Histor. I. 43.
[20]) Briccius enim a Turonibus adulterii criminis accusatus et depulsus per septem annos Romae morabatur, quo tempore Justinianus et Armentius episcopi creati sunt. Postea Briccius reversus episcopalem sedem per aliquot annos adhuc tenuit. Hist. II. 1.
[21]) Hist. II. 14: „apud urbem vero Turonicam defuncto Eustochio episcopo . . . *quintus post* beatum Martinum Perpetuus ordinatur.“ Paullo post (Hist. II. 29) Gregorius Eustochio mortuo Licinium episcopum creatum esse dicit, ita ut contrarius sibimet ipsi videatur. At hoc non nisi negligentia, Eustochium pro Vero ponendo, factum est, quum Licinius octavus post Martinum episcopus dicatur; quam ob causam Eustochio, qui quartus erat, succedere non potuit. Deinde Perpetuus quum *quintus* post Martinum, eodemque modo postea (Hist. III. 17) Injuriosus *quintus decimus* nominetur, apparet Justinianum, Armentium et Proculum a Gregorio inter episcoporum numerum habitos esse, quos tamen epilogus non numerat.
[22]) Hist III. 2.
[23]) Hist. III. 17.
[24]) Hist. IV. 4.
[25]) Hist. IV. 5.
[26]) Hist. III. 17.
[27]) Ibidem.
[28]) Hist. IV. 52. fine.
[29]) Quamquam inter utrumque numerum non ita multum inter-

quum, quod minus sibi constet, Gregorium castiget quidem, rejiciendum vero epilogum esse non censeat, quamquam majora haec, quam quae inconstantiae soli tribuantur, esse videantur: tamen quoniam necesse est, ut tutissimo semper nova aliqua imponantur fundamento, his insuper validissimis, ut opinor, argumentis epilogi ultimam partem, quae incipit verbis: „Sicut a nobis relicta sunt. Quod si te sacerdos" (qua quidem parte insunt verba: „hos autem libros in anno vicesimo primo ordinationis nostrae perscripsimus") a Gregorio non scriptam esse probandum esse videatur.

1) Primum interesse inter hanc et eam, quae antecedit, epilogi partem codices demonstrant, quum desit illa in codice Colbertino [30]), qui tamen integer est [31]), desit deinde in codice Cluniacensi [32]), denique quum in cod. Bibl. Christin. Nro. 556 sedecimo demum saeculo adjecta sit [33]).

2) Deinde dubitationem movent jam ipsa quibus incipit verba: „Quodsi te Sacerdos ... Martianus noster septem disciplinis erudivit, id est, si te in grammaticis docuit legere, in dialecticis altercationum propositiones advertere, in rhetoricis genera metrorum agnoscere, in geometricis terrarum linearumque mensuras colligere, in astrologicis cursus siderum contemplari, in arithmeticis numerorum partes colligere, in harmoniis sonorum modulationes suavium accentuum carminibus concrepare..."

Nam ubi aliis in locis Gregorius de virorum illustrium eruditione disserit, *septem* artes non nominat [34]), nec ejus est, quid

---

est, tamen quod aliquid intersit nos offendit, quoniam auctor epilogi, quicunque erat, quum accuratissime annos, menses atque dies adeo exhibeat, diligentissime summam eruere se velle demonstrat. Qua in re quum minus se profecturum intellexisset, hac fortasse causa commotus singulos numeros computare, id quod nos fecimus, omisit, quamquam ob id ipsum epilogum scribendum instituit. (vide not. 37.)

30) Qui idem Thuanus sive St. Michaelis dicitur, et saeculo decimo conscriptus esse videtur. (Ruin. praef. §. 122.)

31) *Ruin.* ad Greg. opera. pag. 537. not, b.

32) *Bouquet.* Tom. II. pag. 389. not. e.

33) *Pertz.* Archiv. Bd. V. pag. 60.

34) Gregorii Magni, urbis Romae episcopi, eruditionem laudat his verbis (Hist. X. 1.): „Literis grammaticis dialecticisque ac rhetoricis ita erat institutus, ut nulli in urbe ipsa putaretur esse secundus." De Sulpitio, Biturigum episcopo,



singulis doctrinis doceatur pluribus verbis enarrare, id quod hoc loco factum est. Verba deinde „in geometricis sqq. in harmoniis sqq." a Gregorii simplicitate aliena sunt.

3) Offendit porro quod hoc loco Gregorius, usitata chronologiae ratione relicta, ad episcopatus sui [35]) neque ut in Historia ad regum Austrasiae annos numerat. At sine ullo dubio spuriam esse ultimam epilogi partem ex computationibus perspicitur:

4) Epilogus quum ultimo loco inde a morte Martini usque ad annum 21. Gregorii episcopi numeret [36]) annos . . 168, Gregorius vero, uti supra diximus . . . . . . . . 197.

5) Deinde ea, de qua agitur, ultima pars a priore dissentit, siquidem prior ob hanc ipsam causam episcoporum ordinem docere dicat, ut singulorum annorum, per quos episcopi singuli sedem obtinuerint, numerus computetur [37]); id vero non solum omissum est, verum etiam computationis omittendae hanc esse causam praetenditur: „quia *intervalla* ordinationum integre non potuimus reperire." Quod callide quidem, sed falso auctor anonymus praetendit; nam etsi *intervallorum*, ut ipso verbo utar, nulla ratio habetur atque is episcoporum ordo servatur, quem accuratissime, quasi nullus dubio locus relictus sit, in epilogo expositum invenimus, tamen, uti supra commemoravimus, inde a morte Martini usque ad ann. 21. Gregorii 198 vel potius plures anni numerantur, quum in epilogi ultima parte inveniantur 168; ita ut si temporis, quod inter alius episcopi mortem, alius vero inaugurationem intercessit, ratio haberetur, major adeo contentio

---

ita dicit (Hist. VI. 39.) „In literis bene eruditus, in metricis vero artibus nulli secundus." De Andarchio (Hist. IV. 47) hunc in modum: . . . „bene institutus emicuit. Nam de operibus Virgilii, legis Theodosianae libris arteque calculi adplene eruditus erat." Quibus locis omnibus geometriae, astrologiae et musicae scholas institui non commemorat, et longe alia dicendi ratione usus est, quam qua epilogus loquitur.

35) Vide not. 1.

36) Hist. X. 31. § 19.

37) Hist. X. 31. initio: „De episcopis Turonicis licet in superioribus libris quaedam scripsisse visus sim, tamen propter ordinationem eorum et supputationem, quo tempore primum praedicator (Martinus) ad Turonicam accessit urbem, reciprocare placuit."

ac certamen inter utramque partem evaderet. Excusationem igitur quamlibet auctor anonymus quaesivit, ut computationem evitaret.

6) Denique, quod gravissimum est, in ultimo epilogi pronuntiato eundem esse annum trigesimum primum Guntramni (592) atque undevigesimum Childeberti vel vigesimum primum Gregorii (594) profitetur. Nec vero solum ipse Gregorius paullo antea annum decimum sextum Childeberti eundem esse ac Guntramni trigesimum dicit [38], verum etiam anno undevigesimo Childeberti (594) Guntramnus ne vixit quidem (mortuus est enim 593), ita ut nihil conferas ad explicandum locum, etsi numerum trigesimum tertium pro trigesimo primo restituas.

Quae cum ita sint, epilogi ea, de qua agitur, pars rejicienda esse videatur; nec valet, quod Ruinartus opponit, Odoni abbati hanc epilogi partem notam fuisse videri, siquidem is saeculo decimo vixit, epilogum vero jam prius additum esse non est cur negemus. Qua re quum epilogus, quod uno anno Historiam omnem Gregorius conscripserit, argumento esse nequeat, restat, ut quae praeterea lumen afferant consideremus.

Ruinartus enim, quum libri Miraculorum in Historia saepe laudentur, neque vero Historiae in illis mentio unquam facta sit, inde postremo eam, Miraculorum libris jam confectis, scriptam esse contendit. Ubi illud primum non est praetereundum, librum quartum de Miraculis Martini in primis sex Historiae libris non laudari [39], reliquos Miraculorum libros vero jam anno 588 aut fuisse confectos, aut maxima saltem ex parte conscriptos, ita ut laudari possent. Quam ob causam etsi Historiae librum decimum, quum res usque ad annum 591 gestas enarret, praeterquam quod raro res eodem, quo accidunt, anno in Historiae libris exponuntur, imperfectus adeo a Gregorio relictus esse videatur, extrema Gregorii aetate compositum esse concedimus; tamen ea, quam Ruinartus urget, res minime impedit, quominus alios, sex primos dico, libros plures annos ante hunc confectos esse existimemus. Huic vero sententiae ut accedamus,

---

[38]) Hist. X. 24.

[39]) Etsi enim semel se aliquos de Martino libros scripsisse Gregorius commemorat (Hist. V. 6), tamen jam quatuor esse non dicit (vide not. 49). De Miraculorum libris vide supra Cap. II. p. 29 sqq.



et libros VI—X. nec eodem quo antecedentes anno scriptos, nec simul editos esse censeamus

1) Codices vetustissimi suadere videntur, siquidem Corbejensis et Bellovacensis, etsi fragmentum libri septimi exhibent, tamen id suo loco non apponunt [40]), Corbejensis vero fine libri sexti verba „explicit liber sextus..“ adjicit [41]) deinde Cameracensis libros IV—X. recentioribus quam quibus antecedentes conscripti sunt literis exaratos continet [42]); denique recentiores nonnulli omnino eos omittunt [43]).

2) Gregorii ipsius verba in hanc sententiam adducunt, ut ad inceptum studium a quo negotia atque labores aliquamdiu eum prohibuisse videntur, regressum libros VI—X. scripsisse arbitremur. Nam libro sexto epilogum quodammodo addit, Chilperici regis mores pluribus vituperans, septimum vero incipit his verbis: „Licet sit studium Historiam prosequi.“ Affirmat vero sententiam quam maxime

3) Fredegarius Scholasticus, qui fine saeculi septimi Epitomen Historiae ecclesiasticae fecit et in Chronico eam continuavit, quum is Gregorium usque ad Chilperici tantum mortem scripsisse, itaque non nisi sex libros composuisse apertis verbis dicat [44]). Unde cognoscitur hos primos ac secretos a Gregorio editos esse. Id quod

4) Auctor quoque anonymus, qui initio saeculi octavi Gesta Francorum scripsit, probat, quum non nisi sex Gregorii libros eum nosse manifestum sit. Etsi enim in Historia Francorum, quam inde a Francorum origine incipiens usque ad annum 720 conscripsit, usque ad Chilperici mortem ipsius Gregorii verbis plerumque usus est, tamen, quaecunque Chilperico mortuo (584) usque ad Guntramni obitum (593) acciderunt, commemoranda omisit.

---

[40]) Nam fine IV. libri aliquam lib. VII. c. 7 et 8. particulam referunt. Ruin. ad Greg. oper. pag. 326. not. c.

[41]) „Explicit liber sextus Georgii Florentis, sive Gregorii Turonensis episcopi. Deo gratias.“ cf. Ruin. l. l. pag. 326. not. c.

[42]) Bouquet: T. II. praef. pag. 5. sqq.

[43]) Ruin. praef. §. 84.

[44]) Fredegarii Scholastici Chronico prolog. (apud Ruinart. l. l. pag. 586 sq.; apud Bouquet. l. l. T. II. pag. 413). „...curiosissime omnia inseri studui de eodem incipiens tempore scribendum, quo Gregorio finis gestaque cessant atque tacuit, cum Chilperici vitam finisse scripsit.“

Ceterum quintum et sextum librum post annum 587 scriptos esse inde perspicimus, quod Rauchingi ducis mors commemoratur, is autem anno 587 interfectus est [45]).

Deinde vero quartum atque antecedentes libros, etsi quo ipso anno eos composuerit explorari non possit, tamen aliquod tempus ante quintum exaratum scriptos esse

1) Illud indicium est, quod in singulis libris I—IV. Gregorius, ut mundi aetatem doceat, quem annorum numerum in libro quoque amplexus sit, indicat atque libro quarto epilogum addit, quo omnem annorum ordinem inde ab initio mundi usque ad mortem Sigiberti (575) computat. Hujusmodi ratiocinationes in sequentibus libris nusquam inveniuntur [46]). Cujus rei quominus ea causa putetur, quod in sequentibus libris Austrasiae regis mortem commemorandi (id quod ratiocinationibus instituendis ansam praebuerit) nulla Gregorio potestas fuerit, id impedit, quod et libro primo, qui morte Martini finitur, eodem modo factum est, et fine quarti omnis annorum numerus inde ab initio mundi usque ad mortem Sigiberti repetitur.

2) Deinde quum liber quintus prologo longiori ornatus sit, sextus, octavus sequentes nullo (de septimo autem supra dictum est); inde Gregorium, scribendi labore aliquamdiu intermisso, redintegratis viribus ad propositum se contulisse concludimus.

3) Imo in eam sententiam ut librum quartum ante librum secundum de Miraculis Martini confectum, itaque jam ante Chilpericum mortuum (584) [47]) scriptum esse existimaremus, verba quae capite quinquagesimo libri quarti inveniuntur, nos adducerent,

---

[45]) Gregorius quum de Salonio et Sagittario narret (Hist. V. 21) atque in sceleribus eos perseverasse dicat: „donec irruit, inquit, ira dei super eos (585) quod in posterum narraturi sumus“ (Hist VII. 39.) his perspicitur eum post annum 585 scripsisse, denique ubi de Rauchingo duce, qui annum 587 interfectus est (Hist. IX. 9.) haec dicit (Hist. V. 3.) „unde non immerito taliter excessit e vita, quod in posterum digesturi sumus“ eum post annum 587. librum quintum composuisse apparet.

[45]) Nam quae computationes fine libri X. inveniuntur spuriae sunt, uti probavimus.

[47]) Librum tertium de Mirac. Martin ante annum 588. scriptum esse, secundum per octo annos continuatum, ita ut multo ante annum 584. inceptus sit, supra memoravimus. (Cap. II. pag. 34. sq.)



nisi illud impedimento esset, quod alii libri Miraculorum, hoc recentiores, antea laudarentur [48]). Ita enim Gregorius scripsit [49]): „Nam in ipsa die, qua hi pacem fecerant, tres paralytici ad beati basilicam sunt directi, quod in *sequentibus libris* Domino adjuvante disseremus.“ At in Historiae libris nihil de his retulit, neque in iis haec miracula narrandi propositum ei fuisse videtur; alioquin hoc loco fieri debebat, quum postea nunquam narratio ad hunc annum reverteretur [50]). Verum enim vero in libri secundi de Miraculis S. Martini capitibus 5—7 hos paralyticos sanos redditos esse narrat; quae profecto capita laudasset, neque iterum idem narrandi consilium cepisset, si ante Historiae librum quartum ea scripsisset. Obj'ci quidem potest: alios antea Miraculorum libros laudari, qui libro secundo de Mart. recentiores adeosint [51]). Sed haud scio an difficilius sit, rationem haec verba

---

[48]) Quo facilius dijudicari possit, quid inde concludi debeat, omnes, quibus libri Miraculorum commemorantur, Historiae librorum I—IV. locos refero.

a) Histor. I. 42. „Meminimus de his in libro Miraculorum (Glor. Conf. c. 32.)

b) Histor. I. 43.: „Quod in libro virtutum ejus (Martini) *primo* plenius commemoravimus.“

*c) Hist. II. 36.... „scripta sunt in libro vitae ejus“ (Vita Patr. c. 4.)

*d) Hist. III. 2. „in libro quem de ejus vita composuim us (Vita. Patr. c. 4.)

e) Histor. III. 16. „Meminimus et hujus in libro Miraculorum“ (S. Juliani c. 14.)

f) Hist. III. 12. „Sicut in libro virtutum ejus conscripsimus“ (Mirac. Julian. c. 13.)

*g) Hist. IV. 36.. „Sicut in libro vitae ejus scripsimus“ (Vita patr. c. 8.)

*h) Hist. IV. 37... „in libro, quem de ejus vita scripsimus“ (Vit. patr. c. 10.)

Quos locos signo *notavimus (c. d. g. h) in his nihil omnino inest, ex quo concludi possit, quo tempore Historia scripta sit, quum tempus, quo singulas vitas composuerit, Gregorius in dubio relinquat. Ceterum libros de Gloria confessorum et de Miraculis Juliani post lib. II. de Mirac. St. Mart. scriptos esse supra demonstravimus (Cap. II. pag. 34.)

[49]) Hist. IV. 50. fine.

[50]) Alio etiam loco obvenit, ut Gregorius simili ratione in Historia alium librum laudet. Etenim hist. IV. 16: „Erat tunc, inquit, S. Tetricus episcopus, cujus in *superiore* libro mentionem fecimus,“ quum in lib. III. Hist. Tetrici nomen non inveniatur, sed *lib. de Vita Patr.* c. 7.

[51]) Cf. supra pag. 102. not. 47.

„in sequentibus...disseremus...“ enucleandi a nostra diversam invenire, quam audacius contendere: pauca haec verba, quibus alii libri commemorentur, serius demum, in relegendis et continuandis Historiae libris, a Gregorio adjecta esse. Quodsi verum est librum quartum Historiae ante secundum de Miraculis Martini scriptum esse, inde sequitur haud breve tempus intercessisse, antequam Gregorius quarto confecto quintum adjecerit. Nam hic *post* Mirac. Mart. lib. II. scriptus est [52]).

Sed subtilior fortasse minusque tuta quibusdam haec probandi ratio videatur, quam qua acquiesci satis possit. Quare alia insuper afferamus, quae, etsi non docent inter quos potissimum libros scribendos tempus aliquod intercesserit, tamen, quum totam Historiam atque Gregorii scribendi rationem spectent, majora adeo habenda sunt. Etenim capita plurima ejusmodi sunt, ut, quum varia nullo fere vinculo inter se juncta continuant, ne idem quidem caput uno tenore semper scriptum videatur esse [53]). Inter singula autem capita componenda saepius tempus aliquod intercessisse, jam inde colligi potest, quod Gregorius e. g. de Roccoleni sceleribus conquestus Historia libri quarti capite *primo* „in sequenti“ inquit, „qualiter a virtute beati Martini pro tantis malis... percussus interiit memorabimus.“ Quod quum jam *quarto* ejusdem libri capite factum sit, non uno tenore haec scripta esse videntur. In primis vero illud considerandum est, Gregorium rem jam expositam nonnunquam paucis additis repetiisse [54]), interdum etiam res suo loco omissas vel postea

---

[52]) Etenim quum Hist. V. 6. sic scriptum sit: „multae virtutes ad sepulcrum beati Martini apparuerunt, quae in illis libellis scripsi quos de ipsius miraculis componere tentavi“ haec verba, quoniam non singula quaedam capita, quibus idem atque in Historia narratum sit, laudantur, sed libri ipsi commemorantur, in relegenda Historia addita non esse manifestum est. Quam ob causam quum plures libri de Martino scripti dicantur, Historiae *quintum secundo* de Martino recentiorem esse apparet Attamen concludi non debet (uti factum est Hist. liter. de France III 385.) Gregorium tum temporis quartum etiam de Martino librum jam finivisse; nam primus et secundus ipsi perfecti atque absoluti sunt quibus tertius, denique quartus non nisi tempore aliquo intermisso adjecti sunt (vid. Cap. II. pag. 34.) Qua de re illi soli laudari potuerunt.

[53]) Cf. Hist. V. 3. VIII. 18. 20. 22 alia.

[54]) Sicuti de Hermenegildi seditione agitur Hist. V. 39 et VI.



demum addidisse, vel uti notas eas commemorasse, etsi nihil de eis antea exposuerit [55]) quae omnia satis, ut opinor, probant atque demonstrant, non ea Gregorium usum esse scribendi ratione ut totam uno tenore Historiam perficeret: — sed ita instituit, ut ut intermisso interdum scribendi munere ad idem studium se referret, atque memoratu digna colligendo commentarios quodammodo componeret, usque dum ipsa mors scribendi finem faceret.

---

43. cf. et VI. 18; de Gundovaldi varia fortuna et Gregorius narrat (Hist. VI. 24.) et ipsius Gundovaldi orationem eadem prosequentem exhibet (Hist. VII. 36); neque tamen paullo aliter hunc rem exposuisse atque ipse eam narraverit eum offendit. Gundovaldus enim post Chilpericum mortuum Constantinopole se profectum esse contendit, Gregorius eum Chilperico adhuc vivo Massiliam venisse narrat.

[55]) Uti Caesarodunum sorte Chariberto evenisse, deinde vero Chariberto mortuo in Sigiberti potestatem *pacto* venisse suo loco non commemorat, quamquam postea haec narrat (cf. Hist. IV. 46; IX. 20; IX. 30); neque Promotum contra canonum statuta episcopum factum esse suo loco narrat, sed postea altius, etsi brevissime, rem repetit (Hist. VII. 17). Ne illud quidem narravit eo quo debebat loco, Sigulfum, regnum appetentem, Burdigalam occupasse, quamquam hujus rei mentionem alio loco fecit. (Hist. VII. 27.)

# ERRATA.

Pag. 4 not. v. 31 l. 556 pro: 555.
Pag. 8 not. v. 26 l. loco curabimus pro: lococonrabimus.
Pag. 12 not. v. 15 l. pg. 63 pro: pag. 55.
Pag. 13 text. v. 1 aliis locis l. Merovechi pro: Merowechi.
Pag. 13 not. v. 2 l. pag. 71 pro: pag. 61.
Pag. 19 not. v. 8 l. Fortunatus pro: fortunatus.
Pag. 19 not. v. 19 l. conquérants pro: conquirans.
Pag. 49 text. v. 9 omissum est: et de ea qua res ante ipsum natum gestas exposuerit.
Pag. 58 text. v. 13 l. IV. pro: IX.
Pag. 70 not. v. 6 omissum est: Hist. VI. fine.
Pag. 74 text. v. 10 l. unquam pro: nunquam.
Pag. 79 text. v. 2 l. Gregorio pro: Gregoris.

---



---


## ERRATA.

Pag. 4 not. v. 31 l. 556 pro: 555.
Pag. 8 not. v. 26 l. loco curabimus pro: lococourabimus.
Pag. 12 not. v. 15 l. pg. 63 pro: pag. 55.
Pag. 13 text. v. 1 aliis locis l. Merovechi pro: Merowechi.
Pag. 13 not. v. 2 l. pag. 71 pro: pag. 61.
Pag. 19 not. v. 8 l. Fortunatus pro: fortunatus.
Pag. 19 not. v. 19 l. conquérants pro: conquirans.
Pag. 49 text. v. 9 omissum est: et de ea qua res ante ipsum natum gestas exposuerit.
Pag. 58 text. v. 13 l. IV. pro: IX.
Pag. 70 not. v. 6 omissum est: Hist. VI. fine.
Pag. 74 text. v. 10 l. unquam pro: nunquam.
Pag. 79 text. v. 2 l. Gregorio pro: Gregoris.

---



---


Gedruckt bei Leopold Freund in Breslau.

This book is due two weeks from the last date stamped below, and if not returned at or before that time a fine of five cents a day will be incurred.

| | | |
|---|---|---|
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |
| | | |

